QUO MODO

TIBERIUS CLAUDIUS NERO

ERGA SENATUM SE GESSERIT

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

L. LÉVY

EJUSDEM FACULTATIS OLIM ALUMNUS

PARISIIS

EDEBAT FELIX ALCAN BIBLIOPOLA

BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 108

M DCCCCI

QUO MODO
TIBERIUS CLAUDIUS NERO
ERGA SENATUM SE GESSERIT

QUO MODO

TIBERIUS CLAUDIUS NERO

ERGA SENATUM SE GESSERIT

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

L. LÉVY

EJUSDEM FACULTATIS OLIM ALUMNUS

PARISIIS

EDEBAT FELIX ALCAN BIBLIOPOLA

BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 108

M DCCCCI

DILECTO MAGISTRO

P. GUIRAUD

D. D. D.

L. LÉVY

FACULTATIS LITTERARUM PARISIENSIS

OLIM ALUMNUS

INDEX

PRÆCIPUORUM LIBRORUM

QUI AD HOC CONFICIENDUM OPUS CONTULERUNT

I

P. Cornelii Taciti. — *Annales,* éd. Jacob, 1892, 2 vol. in-8, Paris.

P. Cornelii Taciti. — *Annales,* éd. Constans et Girbal, 1896-1898, 2 vol. in-8, Paris.

P. Cornelii Taciti. — *Historiarum quæ supersunt,* éd. E. Gœlzer, 1886, in-8, Paris.

P. Cornelii Taciti. — *Historiarum quæ supersunt,* éd. Constans et Girbal, 1900, in-8, Paris.

C. Suetonii Tranquilli. — *Quæ supersunt omnia recensuit Carolus Ludovicus Roth,* 1858, in-12, Lipsiæ.

Dionis Cassii Cocceiani. — *Historiarum romanarum quæ supersunt,* éd. Boissevain, 1898, 2 vol. in-8, Berlin.

C. Velleius Paterculus. — *Ex historiæ romanæ libris duobus quæ supersunt,* éd. Ellis, 1898, in-12, Oxford.

II

Dr. F. Abraham. — *Tiberius und Sejan,* 1884, in-4, Berlin.

Dr. F. Abraham. — *Velleius und die Parteien in Rom unter Tiberius,* 1885, in-4, Berlin.

G. Boissier. — *L'opposition sous les Césars*, 2e éd., in-8, Paris.

V. Canet. — *Quæ sint in sex primis Taciti Annalium libris initia imperii*, 1877, in-8, Castres.

V. Duruy. — *De Tiberio imperatore*, 1853, in-8, Paris.

V. Duruy. — *Histoire romaine*, 1871, t. III, Paris.

Fabia. — *Les sources de Tacite dans les Histoires et les Annales*, 1893, in-8, Paris.

Fustel de Coulanges. — *Les institutions politiques de l'ancienne France*, 2e éd., t. I *bis*, *La Gaule romaine, a* C. Jullian, 1891, in-8, Paris.

C. Gardthausen. — *Augustus und seine Zeit*, 1891, 1896, 2 vol. in-8, Leipsick.

Goyau. — *Chronologie de l'Empire romain*, 1881, in-8, Paris.

E. Herzog. — *Geschichte und System der rœmischen Staatsverfassung*, 1884-1891, 2 vol. in-8, Leipsick, præsertim, t. II.

O. Hirschfeld. — *Untersuchungen auf dem Gebiete der rœmischen Verwaltungsgeschichte*, 1877, in-8, Berlin.

A. Macé. — *Essai sur Suétone*, 1900, in-8, Paris.

Th. Mommsen. — *Le droit public romain, manuel des antiquités romaines*, 16 vol., Paris, 1892, t. I-VII, præsertim.

Th. Mommsen. — *Res gestæ divi Augusti ex monumentis Ancyrano et Apolloniensi iterum edidit*, 1883, 1 vol. in-4 (album in-fol.), Berolini.

Schiller. — *Geschichte der rœmischen Kaiserzeit*, 1883, 2 vol. in-8, Gotha.

Stahr. — *Tiberius Leben, Regierung, Karacter*, 1873, 2e éd. in-8.

PROŒMIUM

Nobis propositum est inquirere quomodo Tiberius se erga senatum gesserit, unde cognosci possit utrum ea imperii cum senatu communiter regendi ratio quæ dicitur *dyarchia,* Tiberio principe, lege an re tantum valuerit. Doctrinam non affectamus, verum, Tacito, Suetonio et Dione Cassio præsertim auctore, simpliciter referre destinamus quomodo senatus cum principe, princeps cum senatu egerit. Ita de dyarchiæ ratione, iis argumentis usi quæ e priorum historicorum testimoniis depromi possunt, conjecturam assequemur.

Quod si eis quæ in suo libro *Rœmisches Staatsrecht* dicto, Mommsen disseruit fiduciam haberemus, non opus foret ut de hac re longius disputaremus. Etenim, Mommsen auctore, Augustus ipse dyarchiam publice constituit, hoc est rem publicam communiter a principe et senatu gubernari voluit: quæ ab Augusto certis regulis jam definita, a Tiberio perfecta est [1]. Illas autem regulas Mommsen ordine omnes persequitur, cum quo Willems [2], Schiller [3], Hirschfeld [4], postremo Gsell in ea quam de Domitiano imperatore thesim scripsit [5], consenserunt.

1. Mommsen, *Droit public romain*, t. III, p. 302, note 1; t. V, p. 269, 329; t. VII, pp. 484, 485, 486, 496, 505 etc.
2. Willems, *Droit public romain*, 6e éd. 1888, in-8, p. 438.
3. Schiller, *Geschichte der römischen Kaiserzeit*, t. I, pp. 143 sqq.
4. *Untersuchungen*, pp. 280-286.
5. Gsell, *Essai sur le règne de l'empereur Domitien*, 1893, in-8, Paris, pp. 32-34, 36.

Neque vero Mispoulet [1], Madvig [2], Gardthausen [3], C. Jullian qui contendit non fuisse, principe Augusto Tiberioque, dyarchiam, cum princeps eam tantum senatui concesserit potestatem quam libuerit, neque igitur dyarchiam publice, legibus, sed tantum re institutam fuisse [4], unde sequitur eam rei publicæ regendæ rationem falso dyarchiam dici, neque Superioris Imperii dyarchiam Inferioris Imperii monarchiæ jure opponi posse. Herzog autem medium quoddam et ambiguum tenet consilium [5].

Ideo nobis investigandum an, Tiberio principe, dyarchia publice instituta et certis regulis definita fuerit; quod si res se aliter habuerit, hoc saltem quærendum an usu quidem dyarchia valuerit, quam princeps pro arbitrio suo mutaverit. Quod explicare primo aspectu difficilius esse videtur, cum via nulla sit quæ ad certam veritatem ducat.

I

Neque enim historicis qui, cum prioribus tum recentioribus temporibus, de Tiberio scripserunt fidendum est ex omni parte.

Nam priores historici, quod Dio Cassius ipse confitetur, paene omnes non penitus noverunt qualis fuerit principum regendi imperii ratio, cum ii non palam, ut Romanis dum liberi erant mos erat, sed clam omnia publica negotia tractarent, neque quæ de illis consignata essent civibus traderent [6]. Adde quod illi omnes quæ optimates juvarent scrip-

1. Mispoulet, *Les institutions politiques des Romains*, 1882, 2 v. in-8, Paris, t. II, pp. 247, 265, 274.

2. Madvig, *L'État romain, sa constitution et son administration,* 1882-1889, 5 v. in-8, Paris, t. II, pp. 256, 260-261, 266.

3. C. Gardthausen, *Augustus und seine Zeit*, 1891, 1896, 2 v. in-8, Leipsick, t. II, p. 522, 524.

4. C. Jullian, *Revue historique*, t. LVII, p. 341 ; t. LXIV, pp. 380-382.

5. Herzog, *Geschichte und System der römischen Staatsverfassung,* t. II, pp. 126-259, 603-626, 860-903.

6. Dio, LIII, 19, sqq ; A. Macé, *Essai sur Suétone*, p. 175.

serunt, cum ipsi inter optimates essent, propterea ac ob hanc causam Tiberio invidentes.

Quos Tacitus evolvit scriptores Tiberio sunt inimici, et, ut ipse loquitur, recentibus odiis incensi, a quibus ipse ducitur quamvis neget; neque id miraberis, cum ipse inter illos nobiles numerandus sit quorum majores Tiberii severitatem experti sunt. Quem propterea Fabia et Liebenam de Tiberio, Gsell quoque de Domitiano, prave judicavisse demonstraverunt [1]. Eumdem quidem Abraham contendit senatui magis quam Tiberio inimicum fuisse [2]; manifestum tamen legenti est, Tacitum regendæ rei publicæ rationem odisse qua Tiberius usus est : in *Annalibus* enim, ut in *Vita Agricolæ,* eum iniquum fuisse, W. Krüger, Ihne, Stahr, Duruy, Ritter probaverunt [3]. Tacitus præterea, priorum historicum more, non res ipsas narrare studet sed potius ornare, ita ut orationum pulchritudine et operis ordine, atque animorum descriptione potius quam nuda veritate lectores moveantur : eum igitur pristina monumenta neglexisse Fabia docuit. Imo compertum est sæpius Tacitum non modo ipsa Tiberii verba non reddidisse, sed ejus indolem quasi totam excogitavisse, ita ut Tiberium pro ficta illa indole loquentem induxerit [4].

Accuratissime quidem Suetonius monumenta perspexit, nec ea sunt monumenta quibus Tacitus usus est. Cui tamen non est cur multum confidamus. Etenim omnia quæ ab optimatibus Tiberio infensis vulgata essent quasi vera accepit [5].

Dio Cassius vero, cum tertio eodem quo Septimus Seve-

1. Fabia, *Les sources de Tacite*, pp. 317, 367, 371, 447-449; Liebenam, *Neue Jahrbücher für Philologie und Pædagogik*, t. CXLIII, Heft 11, 1891; Gsell, *op. cit.*, p. 173. Vide étiam Herzog, *op. cit.*, t. II, p. 605.

2. Abraham, *Velleius und die Parteien in Rom unter Tiberius*, p. 3.

3. W. Krüger, *Zeitschrift für Alterthumswissenschaft*, 1836; W. Ihne, *Zur Ehrenrettung des Kaiser's Tiberius*, trad. W. Schott, Strassburg, 1892, in-8; Stahr, *Tiberius Leben* passim et p. 317; Duruy, *De Tiberio imperatore*; Ritter, *Die taciteische Charakterzeichnung des Tiberius,* Rudolstadt, 1895.

4. Fabia, *op. cit.*, pp. 312-316, 319, 321, 326-329, 340, 348, 415, 416, 425.

5. Voy. A. Macé, *Essai sur Suétone*, pp. 83, 84, 175, 366.

rus sæculo vixerit, græca ceterum origine, quæ ætate sua et instituta et doctrina valebant, Augusto quoque imperante valuisse, nec non et viros qui olim floruerunt verba quæ ipse excogitavit locutos esse fingit, Agrippam scilicet et Mœcenatem, ut exemplo utar, de re publica non aliter atque ipse disseruisset disserentes [1]. Imo, cum ipsum Tacitum aut eadem quibus Tacitus usus sit monumenta transcripserit, non fieri potest ut ex eo discamus an Tacitus vera dixerit necne ; præsertim cum mente parum acùtus sit.

Hoc unum illorum qui Tiberii ætate vixerunt, de rebus hac ætate gestis scriptum manet quod Velleius Paterculus, XXX annis post J. Chr., confecit. Qui senatoris cujusdam nepos, imperatoris Tiberii equitibus dum bella Augusti agebat adversus Germanos præfectus, postea quæstor, denique prætor, omnibus quæ prioribus sexdecim Tiberii principatus annis gesta sunt interfuit. Sejani autem et principis cliens et beneficiis devinctus, quæ iis adversa sunt scribendo Velleius obscurat [2].

Quæ Tiberii ætate ære inscripta sunt, gesta Tiberii, non mentem qua ea gesserit enarrant.

II

Nostræ quidem ætatis historici præsertim in hoc erraverunt quod quæ a veteribus gesta melius si cum præsenti ætate gestis comparentur intelligi contendunt : cum Abraham, Borussianus quidam, ut exemplo utar, Tiberium militem officio ad verbum addictum esse, et senatum cum principe, sicut illud quod Diæta dicitur concilium cum Borussiano rege, se habuisse finxerit [3]. Stahr autem, utpote qui Tiberio infamiam detrahere voluerit, eum non modo

1. Madvig, *op. cit.*, t. II, p. 259 note 3 ; Mommsen, *op. cit.*, t. VII, p. 495, note 5 ; Fabia, *op. cit.*, p. 388. Herzog, *op. cit.*, t. II, p. 606.

2. Abraham, *Velleius und die Parteien*, pp. 5-6 ; Fabia, p. 370.

3. *Velleius und die Parteien ; Tiberius und Sejan.* Vide etiam Herzog, t. II, p. 238.

optimatum invidia oppressum, sed popularis civitatis studiosum fautorem fuisse opinatur [1].

Neque ex Tiberii aut senatorum dictis aut gestis fides adhibenda est, cum quæritur quomodo senatus erga Cæsarem, Cæsar erga senatum se gesserit. Tiberium enim simulata et inter se pugnantia verba facere, et agere quæ in partes contrarias interpretari potueris solitum esse compertum est. Et senatum quoque nos omnes historici docent specie principi serviliter submissum, re infensum fuisse; cujus verba et gesta, quæ vere exprimant suam de re publica sententiam, difficile propter hanc causam a simulatis distinxeris. Cum autem ambigua fuerit tum Tiberii tum senatus agendi ratio, manifestum fit eam quæstionem haudquaquam certo judicio judicari posse.

III

Unde sequitur illum recte rem tractaturum esse qui quæ de Tiberii imperio ab antiquis scripta sunt comparaverit, judicia tamen scriptorum suspecta duxerit. Cui temporis ratio eo magis habenda est quod ab omnibus veteribus historicis hoc confessum est, Tiberium suum erga senatum agendi consilium pro tempore mutavisse. Inquirendum igitur, postquam quomodo, Augusti ætate, senatus erga Cæsarem, Cæsar erga senatum se gesserit brevius exposuero, quibus temporibus Tiberius imperium inierit, qualis ejus indoles tum fuerit, quid de senatus instituto senserit, ita ut appareat quæ fuerit sua, si temporis ordinem sequeris, agendi ratio, quas senatui et senatorio ordini in imperio regendo partes concesserit.

1. *Tiberius Leben,* passim et pp. 66-67.

CAPUT PRIMUM

UTRUM, LIBERA REPUBLICA ET AUGUSTO PRINCIPE, IN LEGIBUS *DYARCHYA* SCRIPTA FUERIT, AN NON.

Non hoc nobis inquirere placet an Augustus dyarchiam instituerit. Quod opus, hoc ipsum magnitudine superaret. Satis erit inspicere an, cum imperium condiderit, quamdam de dyarchia doctrinam expressis verbis in ipsis imperii legibus inscripserit Augustus.

I

Libera republica, cum institutis et legibus non consentiebat hæc reipublicæ forma quæ dyarchia dicitur. Romani enim hanc unam publicæ potestatis speciem notam habuerunt, imperium scilicet, quod a populo magistratui datum [1] a magistratu pro populo gerebatur. Quod cum bello, tum in pace et in judiciis semper exerceri potuit, prioribus autem temporibus ab uno, dum vivebat, qui rex nomine dictus omnium dominus constituebatur. Cum vero popularis civitatis status vigebat, imperium populus ex parte ipse, ex parte per magistratuum collegia exercuit. Quibus imperium in breve tempus concessum, et populi in civitate, in ipso autem collegio ceterorum magistratuum pari potestate definiebatur; ipsius denique collegii major superioris col-

1. « Populus in pace et domi imperat » (Cicero : *de Republica,* I, 40). « Potestatem neminem injussu populi aut plebis posse habere » (Cicero : *De lege agraria, oratio secunda,* XI).

legii potestas cohibebat. Sed cum populus et magistratus in summa potestate essent, non erat ut legibus ullum imperium senatui concederetur [1].

Senatus tamen multum et in multos poterat; in populum scilicet, cum semper in romana civitate optimatum auctoritas viguerit, in magistratus quoque quos sine patrum auctoritate creare prius non licebat, qui solebant senatum de maximis rebus consulere, utpote qui apud eos magna auctoritate valeret, quod eadem et continua mente de rebus publicis ageret, et quasi unum corpus esse videretur. Senatus etiam, quanquam illius potestas nulla certa lege definita erat, tamen tum populi tum magistratuum proprias res, progrediente ætate, magna ex parte gessit. Quandoque igitur interregnum esset senatus reipublicæ regimen suscipiebat. Quæ potestas senatui semper negata est, quippe quem magistratus tantum consulere cogerentur. Ea nempe Romanorum sententia erat, a magistratibus imperandum, a senatu parendum esse; ita ut jura quæ senatus occupaverat, præcipue jus belli faciendi et componendi, postremo reipublicæ sæculo sibi magistratus arrogaverint. Re quidem, sed re tantum, populus, magistratus et senatus consociabantur [2]. Unde patet non eum rei publicæ statum fuisse ut facile dyarchia ab Augusto institui posset.

II

Aliquis forsan judicaverit Augustum, cum auxilio militum imperio potitus esset, monarchiam militibus fultam struere debuisse. Idem cautus et morem majorum veritus, civibus quidem imperare non autem infestus fierit voluit : quod Cæsari accidit propterea quod civitatis formam mutare ten-

1. « Jamais les Romains ne pensèrent à fixer des bornes précises à la puissance du magistrat » (Fustel de Coulanges, *Histoire des institutions politiques de l'ancienne France*, 2e édit., t. I bis, 1891, in-8, p. 157).

2. Mommsen, *Droit public romain*, t. I, p. 351, t. VII, pp. 197, 221, 228, 229, 231, 443; Madvig, *op. cit.*, t. I, p. 230; t. II, p. 3; Herzog, t. II, p. 860.

tavit. Hoc quoque animadvertendum Augustum, origine nobilem, optimatum semper studiosum fuisse [1].

Itaque non est quod credamus Augustum instituendi imperii leges edixisse : quod novæ rei publicæ gerendæ rationem significare visum esset. Imo, eo scripto, quod Ancyranum monumentum dicitur, in quo Augustus sub vitæ fine potestatem suam accuratissime explicavit, antiquam rem publicam restituisse declarat : « in consulatu sexto et « septimo...... rem publicam ex mea potestate in senatus « populique arbitrium transtuli..... Post id tempus, præstiti « omnibus dignitate, potestatis autem nihilo amplius habui « quam qui fuerunt mihi quoque in magistratu conlegæ » [2]. Libertatem igitur restituisse Augustus visus est. Nempe eadem quæ a magistratibus, vigente republica, exercita sunt, ipse vicissim tum a populo tum a senatu obtinuit; alia autem sibi arrogavit quæ in iis quasi continebantur; ita ut hoc inter Dionem Cassium et recentiores historicos disputatur quale fuerit et quando sit illud imperium, quo tandem potitus, Augustus jure imperator dici potuerit [3]. Extraordinarium id imperium quod esset παρὰ τὰ πάτρια ἔθη, Augustus semper abnuit. Sui imperii heredes non designavit quod cum rei publicæ ratione parum constare visum esset. Comitiorum magistratuumque imperium juxta suum manere passus est. Quod Seneca optime exprimit his verbis « se induit reipublicæ Cæsar » [4].

Cum Augustus veteres leges veritus sit quæ civitate libera vigerent, facile concluseris Augustum non legibus suum cum senatu imperium consociavisse.

1. Bouché-Leclercq, *Les lois démographiques d'Auguste*, *Revue historique*, t. LVII, pp. 245-246; Duruy, *Histoire romaine*, t. III, p. 124; Abraham, *Tiberius und Sejan*, p. 3; Herzog, t. II, pp. 126-233, 603-609, etc.

2. Mommsen, *Res gestæ divi Augusti*, VI, 13-15.

3. Vide C. Jullian de libro : *Augustus und seine Zeit* a Gardthausen, *Revue historique*, t. LXIV, pp. 380-382; Herzog, *op. cit.*, t. II, pp. 126-233, 608-687; Kromayer, *Die rechtliche Bedeutung des Principats*, Strassburg, 1888; Bouché-Leclercq, *Les lois démographiques d'Auguste*, *Revue historique*, t. LVII, pp. 243-244.

4. Seneca, *De Clementia*, I, 4.

III

Augusti vero qualis fuerit re vera potestas perspiciamus. « Rem publicam ex mea potestate in senatus populique « arbitrium transtuli, inquit, quo pro merito meo Augustus « appellatus sum [1]. » Maxima quidem illius auctoritas ex eo oritur quod illud nomen obtinuit, propterea quod omnibus hominibus superior, par pæne diis factus est. « Ut, quoad vi- « verem, tribunicia potestas mihi esset, lege sanctum est [2]. » Id, inquit Tacitus, summi fastigii vocabulum Augustus reperit, ne regis aut dictatoris nomen assumeret ac tamen appellatione aliqua cetera imperia præmineret [3]. Quo jure sacrosanctus, popularis imperii quasi patronum et defensorem se præstitit, tribunis ipsis parem, imo potentiorem ; quin omnibus iis quæ magistratus qui libet gesserit aut senatus deliberaverit, ei licuit intercedere ; in senatu quoque de qua libet re ante curules magistratus ipsos referre. « Ἐπιμελητὴς τῶντε νόμων καὶ τῶν τρόπων τῇ μεγίστῃ ἐξουσίᾳ ἐχειροτονήθην [4]. »

Neque ea tantum jura quæ in Ancyrano monumento numeravit, sed alia quoque Augustus habuit. XXVII enim a. JChr. anno, « τὰ ὅπλα καὶ τὰ ἔθνη τάς τε προσόδους καὶ τοὺς νόμους » senatui concessit ; sed ea omnia, precante senatu, sibi iterum attribuit, imperium in exercitu, nomen imperatoris, jus belli faciendi et componendi in decem annos sibi arrogando [5] ; cum præterea totam rem Romanam non solus administrare voluerit, provincias sibi assumpsit ubi exercitus distributi erant, provincias autem inermes, Ita-

1. Mommsen, *Res gestæ divi Augusti*, VI, 13-15, 16. *C. I. L. Fasti Prænestini,* t. I, pp. 312-384. Vide C. Jullian, *Revue historique*, t. LXIV, pp. 382-384; Herzog, t. II, p. 140.

2. Mommsen, *Res gestæ divi Augusti,* X, 22 (anno XXIII a J. C.). Dio Cassius, LIII, 32.

3. Tacitus, *Annales,* III, 56.

4. Mommsen, *Res gestæ divi Augusti*, III, 15-16.

5. Dio Cassius, LIII, 9, 13 ; cf. LVI, 39.

liam et Urbem senatui gubernandas tradidit. Quæ imperia sibi decimum quemque annum de integro dari voluit. XXIII a. JChr. anno, lex lata est qua imperium proconsulare in perpetuum et in totam rem Romanam obtinuit [1] : imperium igitur, ut ii qui republica vigente consules aut proconsules fuerunt, Augustus habet, sed cum spatio tum tempore Cæsaris imperium longius se extendit, unde fit ut Augusto bella adversus hostes dirigere et sicut prætores jus edicere valuerit, atque etiam imperium domi habuerit. Principi quoque calculum Minervæ in urnam conjicere vi senatusconsulti licitum est provocationemque recipere, et auctoritas legum dandarum concessa [2]. Adde quod in senatu, cum imperio et tribunicia potestate auctus, et vir consularis princepsque senatus esset, magna auctoritate valuit, quam etiam ei senatus. XXIII atque XXII anno, expressis verbis publice concessit [3] : Augusto igitur licet senatum habere, relationem facere, remittere, senatusconsulta per relationem discessionemque facere; sin autem ex mandato ejus senatus habeatur, omnium rerum jus perinde habetur, servatur, ac si e lege senatus edictus esset habereturque. Jus sacerdotes instituendi, XX et IX anno, ei permissum est [4]; imo, Lepido mortuo, a comitiis pontifex maximus factus est [5] : quæcunque igitur ex usu rei publicæ, majestate divinarum rerum esse censebit, ei agere, facere, jus potestasque est. Neque solum vi tribuniciæ potestatis sacrosanctus est, quis eum vel minime offenderit minutæ majestatis postulatur, nam majestatem minuere est de dignitate aut amplitudine populi, aut eorum quibus populus potestatem dedit aliquid derogare.

Augustus etiam jura quædam exercet quæ nulla lege constituta sunt, neque ex iis imperiis pendent quæ modo diximus, jus scilicet senatores ordinandi et magistratibus

1. Dio Cassius, LIII, 2.
2. Dio Cassius, LI, 19 (anno XXX a J. C.). Dio Cassius, LIV, 10.
3. Dio Cassius, LIII, 32; LIV, 3.
4. Ibid., LI, 19.
5. Mommsen, *Res gestæ divi Augusti*, II, 26, X, 23-28; *C. I. L.*, *Fasti Prænestini*, I, 387.

candidatos specie proponendi, re vera imponendi. Tutelam denique salutaremque potestatem in totam rem Romanam omnesque cives Augustus habet [1]. Quare Tacitus merito dixit Augustum « ad tuendam plebem tribunicio jure con-« tentum... insurgere paulatim, munia... magistratuum, « legum in se trahere [2] ».

Nec tamen comitia magistratusque imperio destituti sunt. Cum autem in perpetuum a populo imperium obtinuisset Augustus, ne ipsi quidem populo rerum gestarum rationem reddere addictus erat, neque ab eo leges rogare cum auctoritatem legum dandarum haberet. Magistratibus quoque præcellit, quos cum comitiorum suffragiis commendet ipse quasi eligit, quibus intercedit cum majore tum perpetua potestate. Augusto igitur, propriæ potestatis vi, populum magistratusque licuit ad nihilum redigere atque monarchiam instituere. Quapropter nullus fuit in legibus senatus potestati locus, neque senatus et principis dyarchiæ.

Adde quod munia quæ senatus, vigente republica, magistratibus et comitiis arripuerat, id est quæ ad fiscum ex parte, quæ ad populos externos spectant omnia, senatui Augustus eripuit atque detinet.

IV

Nec tamen negari potest Augustum in Ancyrano monumento declarare senatus jussu res Romanas gessisse. A senatoribus jura sua vicissim obtinuit, in curia quoque et pro senatu se summam potestatem abdicare velle finxit, quam postea, senatoribus precantibus, quanquam eis de illa re nullum agendi jus erat, recepit. Augusto etiam imperium proconsulare, tribuniciaque potestas et Minervæ calculus per senatusconsulta attributa sunt, quæ deinceps populus

1. Vide de salutari principis potestate Herzog, t. II, p. 232, p. 687 ssq. Nonnulli autem publice Augustum legibus solutum fuisse dicunt, quod ex Ancyrano monumento vel e lege de imperio Vespasiani depromunt, quod quidem non certum est.

2. Tacitus, *Annales*, I, 2.

rata habuit. Itaque recentiores quidam historici asseruerunt jus principis eligendi tunc et in posterum senatui fuisse, sicuti vetere republica per interregnum regiminis suscipiendi [1]. Unde quidem sequi videtur, Augusto si credideris, senatum in civitate tam valuisse quam populum, senatus propterea potestatem populi detrimento auctam esse, ita ut verba hæc « senatus populusque romanus », semper juncta, idem valerent [2]. Cum vero senatus summi populi imperii particeps factus esset, et romanæ civitati semper optimates præcellerent, et populus contra romanus, Augusti ætate, nihil jam posset et ab omnibus contemneretur, senatum vero summum imperium detinere fatendum est.

Senatui etiam civiles et capitales res princeps attribuit, etsi suam in judiciis potestatem et quæstiones perpetuas servavit [3]. Senatui quin etiam potestatem legum ferendarum concessit, cum senatusconsulta idem ac leges valere, sua et comitiorum potestate omissa, voluerit [4]. Ipse quoque senatum pro suasore habuit, ita ut suam cum senatus potestate revera consociaverit. Et pristinis senatus muniis abstinuit, qui, simul atque ipse, utpote pontifex maximus, publicum cultum custodiret, qui provinciarum dimidiam partem regeret et inter proconsules distribueret, Romam Italiamque totam administraret, quæ certa et definita pars potestatis dici potest.

Optimatum quoque, qui senatus quasi seminarium erant, auctoritatem amplificavit, et ordinem senatorium et censu et nobilitate nixum constituit. Patriciorum numerum auxit, et honores quibus ii ipsi qui ordinis senatorii essent distinguebantur. Imo senatorum censu deminutorum inopiam

1. Vide Herzog, *op. cit.*, t. II, pp. 164, 167, 860.

2. Velleius, II, 124, 125; Mommsen, *Droit public romain*, t. V, p. 152; t. VII, pp. 489-492, 496, 505; Madvig, *op. cit.*, t. II, p. 261.

3. Dio Cassius, LII, 31; LIII, 21; Mommsen, *Droit public romain*, t. I, p. 190; t. III, p. 142 et note; t. VII, p. 268, 274; Willems, *Droit public romain*, p. 456; Herzog, *op. cit.*, t. II, p. 838; Bouché-Leclercq, *Manuel des institutions romaines*, pp. 142-143.

4. Mommsen, *Droit public romain*, t. VII, p. 467; Herzog, t. II, pp. 151, 714; Duruy, *Histoire romaine*, t. III, p. 170.

levavit. Denique conatus est ut populus senatores magni faceret, utpote qui gente Julia ortus esset magistratumque obtinuerit ac inter senatores numerandum esse et senatores pro collegis habere fingeret. Ex ordine senatorio magistratus eligendos esse voluit. Magistratus autem, ut prius dictum est, se affectare simulavit, et senatores qui in iis essent pro collegis habebat. Imo, ab eo institutum est ut in rebus civilibus ad consules appellaretur, ut a prætoribus ærarium senatus administraretur [1]. Quod ad provincias spectat, cum ipse, proconsul, provincias eas quas sibi reservaverat gereret, omnes eos qui senatoriis provinciis præsidebant proconsules fecit, et majoribus honoribus ornavit quam eos qui imperatorias provincias gerebant. Quin etiam, senatoribus præsertim ejus potestatis quam ipse exercebat majora ministeria mandavit, inferiora equitibus reliquit. Militum quidem noluit senatui operam dare; senatores tamen legatos Augusti legionis fecit et iis summa militiæ officia attribuit. Ceterum omnes eos senatores qui pro principe munia quœdam exercebant minorem locum quam magistratus aut pro magistratu agentes, majorem autem quam equites qui ipsius principis ministri erant locum tenere statuit [2].

Nulla tamen lege, publice, sancitum est senatum summum imperium simul cum principe exercere. Hoc unum Augustus expresse senatui concessit ut Romam atque Italiam et dimidiam provinciarum partem administraret : reliqua, ut a senatu exercerentur, Augustus vicissim tantum aut permisit aut rogavit; ita ut senatus tum populo parem esse res quidem non autem leges inspicienti videretur. Non enim poterat Augustus imperium quod populus romanus in judiciis et legibus ferendis detinebat senatui aperte con-

1. Mommsen, *Droit public romain*, t. III. p. 121 et note 2; t. VII, p. 268; Herzog, t. II, pp. 827-859, 867. De prætoribus, vide Mommsen, *Droit public romain*, t. III, pp. 258, 272; Herzog, t. II, p. 835.

2. Mommsen, *Droit public romain*, t. III, pp. 280, 292; t. V, p. 222; t. VII, p. 72, 487; Herzog, t. II, pp. 628-656, 756-777; Mispoulet, *op. cit.*, t. I, p. 255; t. II, pp. 281, 345, 347. De equitibus, Mommsen, *Droit public romain*, t. VI, p. 92; Hirschfeld, *op. cit.*, passim; Herzog, t. II, pp. 756-777, 961-979.

cedere, quod senatus, republica vigente, auctoritate tantum, non lege, valuit, cum de potestate ejus semper disceptatum esset. Quod præterea senatui Italiam et Urbem atque partem provinciarum administrandam Augustus concesserit, minime mirandum, cum senatus, jam reipublicæ ætate, senatorum ministerio pro magistratu agentium provincias, magistratuum ministerio Italiam et Urbem rexisset. Neque quidem Augustus senatui perpetuum imperium confirmavit, præsertim cum ipsi, quoad moreretur, agendi auctoritas erat, non autem aliquid post mortem prorogandi. Senatum igitur in summa potestate esse, imperium cum principe sociare, ab Augusto neque publice decretum est, neque re certa constitutum.

Unde factum est ut quæ senatus potuerit haud facile dixeris, si quæ ei expresse concessa exceperis, scilicet provinciæ inermes. Roma Italiaque, cum nulla, in legibus, inscriptis verbis definita sint. Ne multa dicam, senatus quemadmodum reipublicæ ætate magistratibus, sic summo magistratui, scilicet principi, quasi suasor habendus est [1]. Potestatem si forte exercuerit, simul cum principe exercuit qui magis quam ipse poterat; ita ut ea tantum posset quæ eum princeps posse volebat.

Augustus præterea curavit senatum e principe pendere. Senatores enim revera eligit, cum auctoritate tam magna valeat ut ii quos voluerit magistratus eligantur, cum ei lectionem senatus efficere, præfecturam morum exercere censumque agere concessum fuerit. Imo, quod jam antea diximus, Augustus ea de quibus senatus deliberare possit ipse determinat : itaque eam potestatem augendo, quam senatus in judiciis et legibus faciendis populo arripuit, suam propriam Augustus auget, cum ea suadere possit quæ senatus de legibus et judiciis decernat. In illis etiam provinciis quas sibi princeps servavit, legiones erant per quas omnes provincias in sua potestate habere valeret. Augustus quoque Ægyptum obtinuit, id est regionem frumentariam cujus ope

1. Mommsen, *Droit public romain*, t. I, p. 346; Willems, *Le sénat de la République romaine*, t. II, pp. 121-122; Madvig, *op. cit.*, t. II, p. 292; Mommsen, t. VII, p. 484-485, 496.

Romani tenebantur. Et in ipsis provinciis quæ senatus erant præminebat Cæsar, cum proconsulum imperio majus imperium haberet, id est imperium proconsulare nullis terminis definitum. Senatores quin etiam quos ministros suos princeps elegerat e principe omnino pendebant.

Denique dum Augustus sibi in exercendo imperio senatum consociabat, tamen imperii quosdam ministros instituebat. qui in iis ipsis quæ gerenda senatui committebat cum magistratibus et proconsulibus æmularentur. Sibi quoque concilium privatum instituebat, nempe concilium principis, quod sub vitæ fine quasi summum quoddam tribunal esse voluit cujus decreta idem ac leges et senatusconsulta valerent [1]. Imo imperium suum longius proferebat et fisci ministros in provinciis senatoriis collocabat; in Italia et Romæ, senatus et magistratuum potestatem minuebat, curam annonæ et præfecturam Urbis instituendo quæ « incivilis potestas » dici potest, quanquam illa nondum continua est. Ita ut in futurum monarchiæ gerendæ rationem delineare videbatur, si forte, propterea quod senatus rebus publicis impar vel principi infensus esset, senatui suum munus adimere et dyarchiam utpote asperiorem abolere cogeretur.

V

Itaque omnia paucis verbis complectar concludendo : primo nunquam dyarchiam in publicum propositam fuisse ; secundo principem nulla lege impeditum esse quin monarchiam exerceret, cum omne imperii genus in se traheret neque igitur ullum juxta suum, nisi populo magistratibusque, imperium concederet ; tertio nihilominus principem se erga senatum gessisse velut ac si senatus summa fungeretur auctoritate, et propterea senatum secum in rebus publicis tractandis consociavisse. Quapropter Augustus senatum parem principi habere videtur. Quod quidem non

1. Dio Cassius, LVI, 28; LVI, 41; Mommsen, *Droit public romain*, t. V, p. 183, 284; Mispoulet, t. I, p. 282; Herzog, t. II, pp. 756-777.

in legibus inscriptum et legibus definitum esse, neque inscribi aut definiri potuisse.

Imo, verbis, senatum in summa auctoritate esse Augustus declarare videtur, res autem non ita fuit. Solus enim jure populus in summa auctoritate est; Augustus quoque, cum populi personam gerat, summæ auctoritatis particeps factus est, et jure summo imperio communiter cum populo fruitur. Non solum lege et auctoritate populi, sed re, Augustus omnia potest, militibus nixus, quorum vi stat imperium.

Etsi igitur Augustus senatum et principem in exercendo imperio consociatos esse fingit, haud pares amborum sunt partes. Cum senatus et princeps jura simul exerceant, iis imperii partibus exceptis quæ senatui distributæ sunt, scilicet inermis provinciis, ille qui plus pollet, id est Augustus, sub nomine amborum rempublicam tenet [1]. Dyarchia igitur non publica neque certis legibus definita reipublicæ gerendæ ratio, Augusto imperante, dici potest. Ita quidem se res habuit, non instituta est, quæ, prout usque ad Augusti finem experientia docuerit, mutari possit.

Quod ipse Mommsen de re inscius demonstrat, cum senatum imperii participem fuisse ex ejus gestis concludat, quæ sine ulla causas pro legibus habet. Ipse autem forte dicit : quomodo dyarchia re exercita fuerit nunquam in legibus conscriptum fuisse. Idem sæpius fatetur nunquam senatum pari libra cum principis imperio fuisse, imo principis imperium plus quam alterum valuisse [2].

Cum autem dyarchia nulla lege definita fuerit, nihil nisi quod Augustus antea gessit, Tiberio incitamento aut documento esse potuit [3].

1. Vide Dionem Cassium, LIII, 17.

2. *Droit public romain*, t. I, p. 351; t. III, p. 302; t. V, pp. 269-270, 323; t. VII, pp. 484-486, 496, 501.

3. Vide Herzog, t. II, pp. 231, 603, atque prasertim 604 : *Einfluss der Praxis auf die Systembildung.*

CAPUT SECUNDUM

Cur senatus et Tiberii contrarii diversique animi fuerint.

Augusto quidem, ut antea diximus, non licuit eum designare qui in partes suas succederet, Tiberium autem tantis honoribus instruxit ut quasi optatum suum successorem designaret, quippe qui, Augusto mortuo, maxima quæque munera re simul ac jure detineret.

Cum Agrippæ filii mortui essent, Tiberius Claudius Nero solus e privignis Augusti supererat. Illuc cuncta vergere, cum ab Augusto in nomen adscitum, et Tiberium Cæsarem Claudianum vocatum, Augustus quoque sui patrimonii heredem scripsit. Ei etiam potestatem tribuniciam in perpetuum conferri voluit, et lege secum ad regendos exercitus et imperatorias provincias consociari, ita ut Tiberius dictus sit « collega imperii, consors tribuniciæ potestatis [1] ». XIV anno igitur post J. Chr., mortuo Augusto, Tiberius duobus magistratibus ornatus erat in quibus summa erat imperii. Augustus etiam Tiberium ut principem indicabat, cum eum socium tribuniciæ suæ potestatis deligeret [2]. Ceterum satis erat Tiberium in imperio proconsulari esse, ut summa potestate frueretur, cum exercitui dux præficeretur, hoc est regni instrumento, et in dimidiam regendarum provinciarum partem imperium summum, in ceteras majus imperium succederet. Tiberius præterea Claudiæ gentis erat, quæ, libera republica, inter maximas et illustrissimas

1. Tacitus, *Annales*, I, 3; Velleius, II, 121.
2. Tacitus, *Annales*, I, 3; III, 56; Suetonius, *Tiberius*, 9, 16.

gentes præcellebat [1]. « Maturus annis, spectatus bello, omnes per exercitus ostentatus, prima ab infantia eductus in domo regnatrice, congestos juveni consulatus, triumphos », qui magni quoque æstimabatur propter ea quæ in toga per tot annos egregie fecerat [2], Tiberius denique cum Augusto de iis quæ ille circa res publicas gerendas cogitabat locutus erat, quatuor profecto libellos noverat ab Augusto scriptos ubi opes publicæ continebantur [3]. Dubitaverat tamen Augustus Germanicum, sororis nepotem et cunctis laudatum, rei Romanæ imponere, et vulgatum erat principem, precibus uxoris Liviæ evictum, Tiberio Germanicum, sibi Tiberium adscivisse [4].

II

Cum Augusto mortuo Tiberius adesset [5], nihil vetabat quin summam imperii, tribunicia potestate et proconsulari imperio potitus, arriperet, et, nullo adversante, sicut Augustus exerceret. Non enim populus ei obsistere poterat, quoniam specie solum, non re, imperii particeps esset. Sed quid de senatu qui tantum locum, imperante Augusto, tenebat, qui senatorii ordinis quasi præsidium erat, gloria et auctoritate jamdudum præclarus, in illo difficiliore casu cum recens potestas in alias manus succedit?

Quæ Galba imperator Pisoni successori designato dixit « eum imperaturum esse hominibus qui nec totam servitutem pati possunt nec totam libertatem [6] » de senatu quoque, Tiberio principe, dixeris.

Non enim cum senatu cui ferocissimum quemque bellum aut proscriptiones detraxissent Tiberio agendum fuit. Haud inermis senatus erat, cum senatores inter optimates elige-

1. Suetonius, *Tiberius*, 1, 2.
2. Tacitus, *Annales*, I, 4, 12.
3. Suetonius, *Octavianus*, 98; Dio Cassius, LVI, 33.
4. Tacitus, *Annales*, IV, 57.
5. Suetonius, *Octavianus*, 98, *Tiberius*, 21.
6. Tacitus, *Historiæ*, I, 16.

rentur qui decies centena millia sestertium possiderent et quæstura essent functi. Novis autem hominibus non aperta curia, cum senatoria dignitas perpetua sit, nisi quis propter infamiam vel paupertatem albo senatorio eradatur, quod raro fit. Eo senatus valet quod tantum senatores et senatorum filii magistratibus ornari solent, qui ab omnibus maxime expetuntur; quod senatoribus præterea, omissis ceteris, Augustus summa principatus officia et legationes mandari voluit. Divitiis senatus non minus potest, cum verbis « patrimonium laticlavium » amplissimæ pecuniæ declarentur [1], etsi hoc tempore fœnus tolerabilius fuisse videtur [2]. Denique, ab una quæque optimatum gente turba humiliorum civium pendet et clientium et libertinorum et servorum, imo gladiatorum qui ei sunt pro custodibus [3].

Unde sequitur senatores omnibus hominibus ex se natis infensos esse, et superbos, ita ut ii qui ex patriciis sunt, nempe, ut exemplo utar, Calpurnii, vix principi concedant, ii autem qui recentioris sunt nobilitatis quam brevissime unde orti sint obliviscantur. Dignitates atque honores maxime appetunt, cum meminerint optimates imperium antea, cum senatus præcellebat, exercuisse, atque Augustum ipsum senatui magnam auctoritatem concessisse [4]. Cum etiam senatus potestas non certis legibus definita sit, eam senatores quam maxime cupiunt quemadmodum republica vigente promoverant.

Liberæ igitur Romæ, quod, republica libera, senatus magnopere valuisset, memoriam colunt. Cui favit Augustus ipse, ut propriam potestatem sub specie libertatis dissimularet. Quin etiam plerique tum libertatis studiosiores quam post Actiacum prælium videntur, propter hanc præcipue causam : « senes plerique inter bella civium nati, quotus

1. Petronius, *Satyricon*, 76.
2. Columella, *De Re rustica*, III, 3.
3. Tacitus, *Historiæ*, I, 4; Friedlænder, *Les mœurs romaines d'Auguste aux Antonins*, t. I, p. 201; C. Jullian : *Les gardes du corps des premiers Césars*, *Bulletin épigraphique de la Gaule*, mars-avril 1883.
4. Tacitus, *Annales*, II, 36, 43; III, 29; IV, 3; VI, 27; Stahr, p. 146; Friedlænder, t. I, p. 47.

« quisque reliquus qui rempublicam vidisset [1] ? » Jamdudum enim proscriptiones et flagitia, quæ reipublicæ temporibus Romam cruentaverunt, ex animo exciderunt. Itaque, dum Cassius atque Brutus « parricidæ » et « latrones » ab iis qui principatum extollunt dicuntur, illi autem qui libertatem defenderunt a liberæ reipublicæ fautoribus magis quam humanis virtutibus adornantur. Imo veterem rempublicam laudare mos est apud honestiores et elegantiores, adeo ut Velleius Paterculus ipse Brutum magnificis verbis extulerit [2].

Ad divitias quoque augendas rempublicam liberam restituere cupiunt, quia proconsules tum provincias prædari solebant [3]. Quos insuper nulla religio tenet quin omnes leges evertant ut perpetuo imperium ad facultates augendas exerceant [4]; « postquam senator censu legi cœptus, judex « fieri censu, magistratum ducemque nil magis exornare quam census » ; omnia igitur questus causa optimates tentant, præsertim testamentorum captationem et usuram, sane vetus Urbi malum, qua culpa nullum anno XXXIII senatorem vacuum esse Tacitus fassus est [5]. Quod autem omnium gravissimum est, ea quam in re publica potestatem habent suæ utilitatis causa utuntur, adeo ut senatus ipsius, cum de rebus suis privatis agatur, auxilium petant, et judices omnibus modis ambire conentur [6].

Ergo patres quemdam optant qui libertatem redditurus sit, hoc est senatum opes et senatus imperium [5], resque novas ardenter cupiunt; ita ut nobilis quisque patrimonio naufragus principi periculum sit, sicut ille Libo qui, cum quo se verteret nesciret, in Tiberii cædem postea conspiravit, Catilinæ imitator quippe qui salutis suæ causa omnia permiscere vellet.

1. Tacitus, *Annales*, I, 3; Abraham, *Tiberius und Sejan*, p. 4.
2. Tacitus, *Annales*, IV, 34; Velleius, II, 72; Duruy, *Histoire romaine*, t. III, pp. 367, 415.
3. Tacitus, *Annales*, I, 33.
4. Plinius, *Hist. natur.*, XIV, 1; Tacitus, *Annales*, VI, 16; Friedlænder, t. I, p. 205.
5. Tacitus, *Annales*, II, 36.
6. Tacitus, *Annales*, I, 75; IV, 6; Friedlænder, t. I, p. 208.

Isti quoque optimates, animo imbecilli superstitionibusque dediti, omnibus fidem habent signis quibus eorum spes confirmatur. Atque verba in publicum dicere rhetoricis exercitationibus assueti, cum non jam tanta sit quanta olim, dum respublica vigebat, eloquentiæ vis, turgidis et captiosis orationibus auctoritatem quamdam præter modum assequi cupiunt. Denique, inter omnes nobilissimas gentes discordiæ exsistunt a majoribus traditæ, quæ rursum incenduntur, cum propter eam cupiditatem ulciscendi Italorum animis valde insitam, tum ob clientium jurgia qui causam patronum suscipiunt [1]. Quibus omnibus nobilium pessima quæque vitia aluntur.

Itaque dicendum est senatores in duas contrarias partes pro tempore trahi, nempe nunc principi fœde submissos ita ut, pecuniæ, potestatis, iræ explenda cupiditate, delatores fieri eos non pudeat [2], nunc contra principi infensi, quia genti invident cui imperio potiri contigit, amissam senatus auctoritatem desiderant, reipublicæ fautores haberi volunt, pecunia denique indigent. Eorum quidem plerisque satis erat si sermonibus Cæsarem carperent, quos in conviviis rodere, in circulis vellicare jam Cicero dixit, et Augustus de omnibus quæ a principis propinquis reprehendenda agebantur : « σκώπτειν καὶ μυκτηρίζειν εἰωθέναι [3] ». Quæ non sine urbanitate quadam, utpote ab expolitis hominibus dicta, imperatorem certo et penitus offendebant, si forte offensioni pronus erat. Quorum honestissimi silentio et otio sese involvebant [4]. Alii quoque, vivo Augusto, jam principi ita periculosi erant ut ab eo Tiberio indicarentur [5].

Quapropter senatus rei publicæ gerendæ impar erat. Ob enim senatorum multitudinem, non erat ut ab uno quoque eorum quæ gesserit ratio redderetur, et negotia brevi et

1. Tacitus, *Annales*, IV, 19; Abraham, *Tiberius und Sejan; Velleius und die Parteien in Rom;* Mispoulet, *op. cit.*, t. II, p. 186. Cf. senatum, Domitiano principe (C. Jullian, *Revue historique*, t. LII, p. 343).

2. Tacitus, *Annales*, I, 74; III, 19, 25, 52, 66; IV, 19; Suetonius, *Caligula*, 30.

3. Cicero, *pro Balbo*, 26; Suetonius, *Claudius*, 4; Tacitus, *Annales*, IV, 38.

4. Tacitus, *Annales*, VI, 8.

5. Tacitus, *Annales*, I, 13.

certa ratione tractari possent, præsertim cum omnes suæ utilitati, publicæ detrimento, consulerent. Nam in privatis magis quam in publicis negotiis, et ludis aut sermonibus elegantiorum more, occupati, ceterum ad negotia a rhetoribus minime instructi, nec tamdiu magistratibus functi ut quid in iis experti essent. De nugis itaque, jam Augusto principe, in senatu tanto cum clamore disputatum est ut Augusto sæpius curia deserenda fuerit [1].

III

Cum senatorii ordinis et senatus ea esset in republica condicio, magna inde oriebantur principi, qualiscumque fuerit, impedimenta. Nempe quoniam senatus magistratusque cum principe de juribus pugnabant quæ non definita sibi invicem obstabant, cum senatus potestatem semper augere cuperet, non poterat fieri quin senatus magistratusque cum principe ad dominationem certarent. Hæc Neronis sententia fertur : superiorem quemquam principem nesciisse quid sibi liceret [2]; quod de senatu quoque merito dixisset. Plinius junior quidem profiteri videtur præcipuam ætate sua magistratus virtutem modestiam habendam esse [3] : qua caruisse optimates, Tiberio principe, ex modo dictis apparet. Sed satis est de imperatore quatenus magistratus habendus est; quatenus autem vir privatus habetur : inter senatores adscribitur qui optimatum fortunis et felicitati inserviat [4], sicut postea rex Galliæ, qui cum princeps nobilium sit, nobilium quoque patronus habitus est. Cæsari igitur senatorum vota tum explenda, tum cohibenda erant ne quid imperatoriæ potestatis aut reipublicæ detrimento fieret; imo unamquamque gentem, utpote gloria et auctoritate majorum illustrem, tum vereri. tum quid ageret animadvertere cogebatur. Cum nobilibus

1. Suetonius, *Octavianus*, 54; Gsell, *op. cit.*, pp. 33-35.
2. Suetonius, *Nero*, 37.
3. *Epistolæ*, I, 23.
4. Tacitus, *Annales*, II, 38; IV, 6.

origine similis existimaretur, ita se gerere debebat ut ab iis non admodum differret, iis tamen præesset [1]. Cui quoque cavendum ne adulatorum blanditiis, neve censorum contumeliis aut ludibriis offenderetur. Ad hæc omnia opus erat ut princeps sui compos et minime irritabilis et cautissimus esset, et quidquid oporteret aut deceret discernendi peritissimus evaderet.

Quod si cui difficillimum, principi præcipue erat cujus potestas armis parta, armis quoque servata erat, ita ut, si nonnulli inter nobiles in inimicitiæ suspicionem inciderunt, ad arma statim confugiendum esse videretur [2] : quamobrem nobiles militibus obnoxii, principi magis ac magis infensi fiebant.

Nec in sua quidem domo Cæsar animo tranquillus est. Divisa namque et discors aula. Unumquemque principis propinquum sua aula, comites, clientes, custodes circumdant qui perpetuis disputationibus inter se divisi sunt, sicut, ut exemplo utar, principe Augusto, Julii et Claudii. Claudiis tum sunt Livia et Tiberius ipse, Juliis Germanicus et Agrippina uxor [3]. Cum Augustus, ut antea dictum est, diu cunctatus est an sibi Germanicum successorem destinaret, spe Julii extolluntur [4]. Quæ ceterum jurgia muliebres offensiones alunt, novercalibus Liviæ in Agrippinam stimulis, Agrippinæ indomito animo [5]. Quibus maxima quæque gens sese immiscet, amici accendendis offensionibus callidi, intendere vera, aggerere falsa. Optimates vero plerique Juliis favent, cum Augustus inter Claudios successorem elegerit, cum melius de designato principis successore quam de principe, de Germanico magis quam de Tiberio sperent, et Germanicum humanum et

1. Abraham, *Tiberius und Séjan;* Friedlænder, *op. cit.*, t. I, p. 162; Madvig, *op. cit.*, t. II, p. 261; Herzog, t. II, pp. 177, 867.

2. Tacitus, *Annales*, I, 8; II, 76; Schiller, *op. cit.*, t. I, p. 284; Abraham, *Tiberius und Sejan*, p. 9.

3. Tacitus, *Annales*, II, 43; II, 57; III, 13; Friedlænder, t. I, p. 131; C. Jullian, *Les gardes du corps des premiers Césars*; Stahr, *Tiberius Leben,* pp. 69, 289 et passim.

4. Suetonius, *Caligula*, 4.

5. Tacitus, *Annales,* I, 10, 14, 33, 69; II, 34, 55; III, 1.

principi ipsi legique submissum, Agrippinam pudicam et plurium liberorum matrem admirentur, utpote virtutum exemplaria a quibus ipsi tamen longe dissident, moribus acerbi, rerum novarum cupidi, matrimonii juris violatores et a pueris procreandis abhorrentes [1].

IV

Quibus omnibus non fieri poterat quin Tiberius a recta via deflecteretur.

Juliano enim auctore « σεμνὸς τὰ πρόσωπα καὶ βλοσυρός σωφρόντε ἅμα καὶ πολεμικὸν βλέπων », imo « εὐπατρίδης μὲν ἦν καὶ ἐπεπαίδευτο [2] ». Claudii enim optimates assertoresque unici dignatis ac potentiæ patriciorum, atque adversus plebem violenti et contumaces [3]. Ut ii quidem sic superbus Tiberius, et iis mulieribus infensus quæ se rebus publicis immiscebant, et latinam linguam togamque romanam solas civiles esse existimans, morem majorum maxime colebat [4]. Circa deos ac religiones negligentior, deos tamen civitatis publice adornari volebat, ipse in iis omnibus quæ ad cultum pertinebant eruditissimus [5]. Veterum etiam Romanorum exemplum secutus, addictus erat mathematicæ, plenusque persuasionis cuncta fato agi [6]. Optimatum denique senatusque maximus laudator, quippe quibus Romana civitas niteretur. Quibus affectibus Tiberius eo magis occupatus erat quod Augusti omnia facta dictaque vice legis observare decreverat [7] : Augustus autem, ut antea dictum est, optima-

1. Tacitus, *Annales*, I, 33; II, 41, 82; Suetonius, *Claudius*, 1; Tacitus, *Annales*, III, 29; Abraham, *Tiberius und Sejan;* Schiller, t. I, p. 296; Duruy, *Histoire romaine*, t. III, p. 292.

2. *Juliani imperatoris Convivium*, p. 397, éd. C. Hertlein, Lipsiæ, MDCCCLXXV; Dio Cassius, LVII, 1.

3. Suetonius, *Tiberius*, 2, 3; Schiller, t. I, p. 249.

4. Tacitus, *Annales*, I, 14, 69; Suetonius, *Tiberius*, 71; Dio Cassius, LVII, 15, 17; Tacitus, *Annales*, II, 59.

5. Suetonius, *Tiberius*, 69; Tacitus, *Annales*, I, 62.

6. Suetonius, *Tiberius*, 69.

7. Tacitus, *Annales*, I, 11, 77; IV, 37; Dio, LVI, 26; LVII, 8; Herzog, t. II, p. 605.

tibus et moribus antiquis favebat [1] ». Tiberius itaque ut senatui et ordini senatorio indulgeret, incitabatur.

Sed rei publicæ causa Augustus adoptare Tiberium professus erat [2]. Tiberius ipse principem « salutarem » esse debere arbitrabatur et tutelam imperii suscepturum, cum « principes mortales, rem publicam æternam esse » declararet, ita ut omnia pro utilitate publica subeunda essent. Cujus hæc fuit agendi ratio præcipuam rerum ad famam dirigendam esse, cujus hæc fuit sententia « oderint dum probent », illi etiam non perinde curæ gratia præsentium quam in posteros ambitio [3]. Quem igitur necesse erat rei publicæ utilitatem adversus patres tueri. Nimiorum quoque honorum contemptor, nempe, ut exemplo utar, illius cultus quem nuper Augusto Romani adhibuerant [4], Sallustium quemdam Crispum, equestri loco ortum et sine dignitate senatoria, atque Marcum Lepidum adulationibus imparem optimatibus adulantibus anteponebat [5]. Neque ad agendum promptus, « μελλητὴς εἰ καί τις ἑτέρων βασιλέων ἢ τυράννων γενόμενος » [6], et militum more rudis, optimates ad se allicere minime callebat. Etsi se « offensionum pro utilitate publica non pavidum » [7] esse profitebatur, invidiosis aut contumeliosis verbis maxime irritabatur. Neque quidem sermone aut habitu expolitus erat, quod senatorii ordinis trossulis magnopere placuisset : doctissimus enim, male tamen et lente, gestibus ineptis, loquebatur. Itaque Augustus ipse in curia quædam de habitu cultuque et institutis ejus jecerat, quæ velut excusando exprobraret [8].

Denique Tiberii turbidus erat animus, velut omnibus optimatibus, fastidiosus, quapropter eum Augustus « πρεσβύτης » vocabat, imo asper et immitis, ita ut ei « acerbitatem et into-

1. Tacitus, *Annales*, I, 11 ; III, 8, 17 ; IV, 6 ; Dio Cassius, LVI, 26, 33.
2. Suetonius, *Tiberius*, 21.
3. Suetonius, *Tiberius*, 59 ; Tacitus, *Annales*, III, 6 ; IV, 38, 40 ; VI, 26, 46.
4. Tacitus, *Annales*, IV, 15 ; IV, 37-38.
5. Tacitus, *Annales*, III, 30 ; IV, 20 ; XI, 21.
6. Josephus, *De antiquitatibus judaicis*, éd. Dindorf, in-4, Paris, 1847-1849, XVIII, 6, 5 ; Tacitus, *Annales*, IV, 11.
7. Tacitus, *Annales*, IV, 38.
8. Suetonius, *Tiberius*, 59, 68, 70 ; Tacitus, *Annales*, I, 10.

lerantiam morum » Augustus, alii « sævitiam, arrogantiam » increparent [1]. Quin etiam, quod omnium utilitatis causa moliebatur, non quidem comi via, sed horridus ac plerumque formidatus agebat [2]. In animo revolvens iras, sermone, vultu arrogantibus et obscuris, abstrusus, « οὐκ ἠξίου τὸν αὐταρχοῦντα κατάδηλον ὧν φρονεῖ εἶναι » [3]. Attamen erga eos ipsos quibus infensus erat torvus aut falsum renidens, « νῦν « δὲ ὠργίζετο εἴ τις αὐτοῦ συνεὶς φανερὸς ἐγένετο · καὶ πολλοὺς « οὐδὲν ἄλλο σφίσιν ἢ ὅτι συνενόησαν αὐτὸν, ἐγκαλέσαι ἔχων ἀπέκ-« τεινεν » [4]. Quæ omnia, jam cum Roma profectus et Rhodi lateret facilius animadverteris, quippe qui ita crudelis et libidinosus esset ut eum diceret magister ejus « πηλὸν αἵματι « συμπεφυρμένον » [5]. Cum jam animo, antequam imperio adeptus erat, labaret, vi dominationis convulsus et mutatus est, quod fortasse suspicatus, et veritus ne aliquando mens deficeret, ipse, sui principatus initio, declaravit « similem se « semper sui futurum, nec unquam mutaturum mores suos « quamdiu mentis sanæ fuisset » [6]. Tiberius igitur Augusto dissimilis fuit sibi maxime constanti placendique studioso, cujus tamen exemplum sequi eum magnopere necesse fuisset. Itaque Domitianus postea ejus imaginem retulit, qui commentarios quos de vita sua Tiberius composuerat lectitabat, et non aliter atque Tiberius optimatibus, et suæ et publicæ utilitatis causa, invidus, ceterum, ut ipsi optimates, animo turbidus, obstante senatu tandem tyrannus evasit [7].

V

Augusto vix mortuo, senatorum animi Tiberio molesti

1. Suetonius, *Tiberius*, 51 ; Tacitus, *Annales*, I, 10, 72.
2. Tacitus, *Annales*, IV, 7.
3. Ibid., I, 33; IV, 21 ; Dio Cassius, LVII, 1.
4. Dio Cassius, LVII, 1 ; Tacitus, *Annales*, I, 11 ; I, 81.
5. Suetonius, *Tiberius*, 11, 12, 57 ; Tacitus, *Annales*, I, 4 ; Duruy, *Histoire romaine*, t. III, p. 307.
6. Suetonius, *Tiberius*, 67.
7. Cf. De Domitiano *Dio Cassius*, LXVII, 4 ; Tacitus, *Vita Agricolæ*, 39 ; Suetonius, *Domitianus*, 3, 21 ; Gsell, *op. cit.*, p. 241, 242.

fuerunt. Romæ ruere in servitium consules, patres, vultuque composito, ne læti excessu principis neu tristiores primordio, lacrimas, gaudium, questus, adulationem miscebant [1]. Omnem vero Cæsaris gentem contumeliosis sermonibus nobiles prosecuti sunt, necnon defunctum Augustum cui prius commissa scelera et ea quæ merito gesserit pariter exprobrata sunt. Hoc præcipue Augusto et Liviæ, « gravi in rempublicam matri », objectum, quod omnia secundum Tiberium disposuerint ne successor in incerto foret, et provisas etiam heredum in rempublicam opes. Sic enim Augustus pravas aliorum spes cohiberi rebatur [2]. Quæ Augustum non inutile cavisse ex Taciti dictis patet.

Præterea, cum multa quæ ad principatus originem pertinebant, mortuo Augusto, in omnium memoriam redirent, multa studiose de principatus ratione, de Julii Cæsaris morte, quod nonnulli « pulcherrimum facimus » vocabant, disceptabatur. Imperium quidem fatebantur ab Augusto merito initum esse, necessitudine reipublicæ in qua nullus tunc legibus locus, neque aliud discordantis patriæ remedium fuisse quam ut ab uno regeretur; tacite autem concludebant nunc non easdem causas esse ut diutius principis nomine respublica constitueretur [3].

Tiberio ipsi, utpote imperii successori, obtrectabant, de vitiis ejus verba facientes, et ea quæ de Augusto moriente dicta essent referentes : « egresso post secretum sermonem « Tiberio, vocem Augusti per cubicularios acceptam *mise-* « *rum populum Romanum qui sub tam lentis maxillis* « *erit* [4]. » Augustum quoque Tiberii vitia senatui confessum esse patres meminerant, dicebantque Tiberium non caritate aut reipublicæ cura successorem adscitum, sed quoniam adrogantiam sævitiamque ejus Augustus introspexerit, comparatione deterrima sibi gloriam quæsivisse [5].

1. Tacitus, *Annales*, I, 7.
2. Tacitus, *Annales*, I, 8, 10; III, 56.
3. Tacitus, *Annales*, I, 8, 9.
4. Suetonius, *Tiberius*, 21.
5. Tacitus, *Annales*, I, 10.

Augusti quoque testamentum in Tiberii damnum interpretati sunt : « quoniam sinistra fortuna Caium et Lucium « filios mihi eripuit, Tiberius Cæsar mihi ex parte dimidia « et sextante heres esto. [1] » Quo et ipso aucta est suspicio opinantium, necessitate magis quam judicio successorem ascitum Tiberium, quando ita præfari non abstinuerit Augustus. Hoc etiam testamento Livia in familiam Juliam nomenque Augustum assumebatur, in spem secundam nepotes pronepotesque scripserat Augustus. Unde sequebatur Liviam Tiberio, Tiberio Germanicum opponi posse, præsertim cum Germanicum ab Augusto magis quam Tiberium delectum fuisse meminerent. Tertio autem gradu, primores civitatis scripserat Augustus [2]. Quos ita princeps sine dubio plurimi faciebat, et cum gente sua quodam modo conjungere tentabat. Multi autem nobiles, etsi testamento principis nihil de rebus publicis sed tantum privatis conscriptum erat neque conscribi poterat, cum se imperii dignos existimarent [3], imperium sibi fore speraverunt.

Spes novæ, inquit Tacitus, pauci bona libertatis incassum disserere, plures bellum pavescere, alii cupere [4]. Velleius aliter « Quid tunc homines timuerint, quæ senatus trepi« datio, quæ populi confusio, quis Urbis metus, in quam « arto salutis « exitiique fuerimus confinio ! [5] ».

Non erat quidem, sicut Boissier dixit, ut optimates magnopere timerentur, cum eorum nullus esset qui rem publicam agere valeret et aliquid auderet. Hoc ipso quod Tiberio Germanicum, nempe virum viro, opponunt, patet eos penitus monarchiæ addictos esse [6], quod Schiller his verbis expressit « war der Senat kaiserlicher als der Kaiser » [7]. Attamen, cum senatus Tiberium erga se, pariter ac se ipsum erga Tiberium, infensum esse arbitraretur,

1. Suetonius, *Tiberius*, 23.
2. Tacitus, *Annales*, I, 8.
3. Tacitus, *Annales*, I, 12, 13; Suetonius, *Octavianus*, 101.
4. Tacitus, *Annales*, I, 4.
5. *Velleius*, II, 124.
6. *L'opposition sous les Césars*, pp. 362, 367.
7. Schiller, *op. cit.*, t. I, p. 291.

Tiberius, senatorum invidiæ certior factus, hoc in animo habuit ut injurias illatas propulsaret. Ita accidit ut senatus et Tiberius, in republica gerenda consociati, revera gravissime dissentirent.

CAPUT TERTIUM

QUO MODO, DEFUNCTO AUGUSTO, TIBERIUS ERGA SENATUM SE GESSERIT.

Tiberius, quippe cui manifestum esset legionibus vim et speciem dominationis niti, vix Augusto mortuo, signum prætoriis cohortibus ut imperator dedit, atque ad exercitus et provincias tanquam adepto principatu litteras misit. Quod ei jure facere licuit, cum imperio proconsulari auctus esset. Herzog quidem eum accusat quod contra legem principatum occupaverit, quia apud Herzog senatui jus erat principis eligendi [1]; hoc autem senatum ab Augusto accepisse non compertum est, hoc, defuncto Augusto, non erat ut senatus servare posset. Sex. Pomponius et Sex. Apuleius consules, primi in verba Tiberii Cæsaris juravere, apudque eos Seius Strabo et Caius Turranius, ille prætoriarum cohortium præfectus, hic annonæ; mox senatus, milesque et populus [2]. Mos enim erat, reipublicæ ætate, in imperatoris sui milites, Augusti autem tempore, in principis verba totam romanam civitatem jurare. Quod sacramentum, militibus olim non civibus proprium, cum Tiberius civibus accommodare vellet, apud consules qui nuper rei publicæ summi magistratus erant dici curavit. Quod, crediderim, a Tiberio propterea etiam factum est ut magistratuum auctoritas augeretur, et principis potestas præ senatus populique romani imperio tanquam lateret. Patres autem in

1. Tacitus, *Annales*, I, 7; *Dio Cassius* LVII, 2; Suetonius, *Tiberius*, 24. Herzog, t. II, p. 234.

2. Tacitus, *Annales*, I, 7; Abraham, *Tiberius und Sejan*, p. 8; Mommsen, *Droit public romain*, t. V, p. 56.

curiam vocavit tribuniciæ potestatis præscriptione sub Augusto acceptæ, quod legitimum erat [1].

Nusquam cunctabundus nisi cum in senatu loqueretur, imperandi etiam ambiguus patribus visus est [2]. In curia dixit se id unum e publicis muneribus usurpare quod de parentis honoribus consuleret et a corpore non abscederet. « Con-« clamant patres corpus Augusti ad rogum humeris sena-« torum ferendum. » Cum Cæsar remiserit, arrogantis moderantiæ eum Tacitus incusat [3] : nos contra putamus Tiberium, utpote senatus observantissimum, hunc modum funeris neminem nisi Augustum decere arbitratum esse. Illud et cetera quæ in memoriam Augusti decreta sunt « λόγῳ μὲν ὑπὸ τῆς γερουσίας, ἔργῳ δὲ ὑπό τε τοῦ Τιβερίου καὶ « ὑπὸ τῆς Λιουΐας, ἐνομίσθη· ἄλλων γὰρ ἄλλα ἐσηγουμένων, ἔδοξὲ « σφίσι, βιβλία παρ 'αὐτῶν τὸν Τιβέριον λαβόντα ἐκλέξασθαι ὅσα « ἐβούλετο [4] ». Tiberius igitur effecit ut sua potestas, senatus et consulum auctoritate interposita, tanquam obumbrata lateret. Cum, deliberatione inita, Valerius Messala renovandum per annos sacramentum in nomen Tiberii censeret, interrogatus est a Tiberio num se mandante eam sententiam prompsisset, cui Valerius Messala se sponte dixisse respondit [5]. Tiberius nempe timebat ne ipse Messalæ consilium injecisse videretur senatum jam arbitrio principis submittendi. Cuncta denique per consules Tiberius incipiebat tanquam vetere republica [6].

Tiberius nihilominus dubitabat utrum hanc agendi rationem servaret, an, regnantium modo, humiles quosdam viros deligeret, consiliorum participes, quibus adjuvantibus publica negotia clam tractaret, quod quidem præsentium rerum necessitas suadebat. Quamobrem, C. Sallustio Crispo, præcipuo cui secreta imperii inniterentur, sceleri manus commodante, Tiberius Agrippam Posthumum occidi jussit,

1. Tacitus, *Annales*, I, 7.
2. Ibid.; Suetonius, *Tiberius*, 24.
3. Tacitus, *Annales*, I, 7, 8.
4. Dio Cassius, LVI, 47.
5. Tacitus, *Annales*, I, 8; Cf. ibid., I, 72; Dio Cassius LVII, 8; LVIII, 17; Suetonius, *Tiberius*, 26, 67.
6. Tacitus, *Annales*, I, 7.

non secus ac reges illi Asiatici qui, vix imperio potiti, propinquos suos trucidare solent [1]. Postea, tamen, cum rationem facti reddendam apud senatum princeps pronuntiaret, C. Sallustius Crispus monuit Liviam « ne arcana domus, « ne consilia amicorum, ministeria militum vulgarentur, « neve Tiberius vim principatus resolveret cuncta an sena- « tum vocando : eam condicionem esse imperandi, ut non « aliter ratio constet quam si uni reddatur [2] ». Cui consilio, cum Crispum secretorum Augusti participem plurimum valere censeret, Tiberius obtemperavit.

II

Die funeris Augusti, cum Tiberius patres rogabat ut a præsidiis muniretur et senator quidam admoneret prætorianos milites ei jam ad manum esse, respondit « οἱ στρα- « τιῶται οὐκ ἐμοὶ, ἀλλὰ δημόσιοί εἰσι [3] ». Quoniam Tiberius jam militibus præesset, verba quibus milites a senatu peteret ficta esse senatores et Dio Cassius arbitrati sunt.

Quæ autem, Tiberium principatus utilitatis gratia locutum esse censemus. Etenim, quemadmodum Augustus, nece Cæsaris monitus, a gladiis perpetua vita cavisset, ita Tiberius, in tanto discrimine rerum de sua vita metuens, a militibus custodiri cupiebat [4]. Quos jure suo proconsulari sibi adsciscere noluit, ne hoc militaris potius quam civilis potestatis signum esse videretur, quod patrum oculos læderet. Milites igitur a senatu populi Romani vices gerente Tiberius petivit.

Illa quoque oratione senatum in summo honore et summa auctoritate esse professus est. Quare crediderim Tiberio consilium fuisse instituendi hanc agendi rationem, dyarchiam scilicet, non specie tantum sed plane.

Imo senatui summum imperium in cuncta, et præsertim

1. Tacitus, *Annales*, III, 30; I, 6.
2. Tacitus, *Annales*, I, 6.
3. Dio Cassius, LVII, 2.
4. Tacitus, *Annales*, I, 7, 8.

in milites, exercendum concedebat, quo senatus populo Romano æquabatur. Augustus autem, quanquam senatum populi personam gerere finxit, minime tamen senatum militibus præesse permiserat.

Cum senatus ea irrisit verba quibus Tiberius declarabatur milites in manu patrum et populi romani esse [1], Cæsar sibi proprio jussu custodes dedit. Die funeris, milites veluti præsidio stetere. Haud vero cogitaverunt optimates id nullo Tiberii delicto, sua autem culpa accidisse, sed, eo magis irati, in principem qui auxilio militari tuendus esset probra jecerunt [2]. E quibus etiam intelligi potest fore ut senatus cum principe sæpius dissentiat, quamvis nihil sit cur dissentiant.

III

Augusti laudationem dixit Tiberius. Quam Dio Cassius retulit, non tamen, ut solet, qualem Tiberius locutus est, quam vero idem fere valere ac ipsa Tiberii verba censuerim. Illa in laudatione, Tiberius quid fieri velit exponit, quod jam vetere republica solebant consules consulatum ineuntes et Tiberius ipse, suadente Augusto, postquam consulatum accepit [3].

Non miraberis quod hac laudatione princeps Augustum extulerit : hæc est enim laudantium consuetudo. Sed hoc quoque sibi proposuit ut numen Augusti principatui ab Augusto instituto et Tiberii ipsius imperio præsidere videretur. Quem sibi exemplar futurum esse profitetur.

Augustum propter hoc laudandum dicit quod imperii formam invenerit qua res publica reficeretur. Eamque imperii formam tanquam « προστασίαν ἑνὸς ἀνδρὸς » esse Tiberius demonstrat, cum cives præsentes persuasum habeant

1. Dio Cassius, LVII, 2.
2. Dio Cassius, LVII, 2, Tacitus, *Annales*, I, 8.
3. Dio Cassius, LV, 6; Suetonius, *Octavianus* 101; *Tiberius*, 23; Dio Cassius, LVI, 33; Mommsen, *Droit public romain*, t. VII, p. 498.

« ὅτι δημοκρατία μὲν οὔποτ' ἂν τηλικούτοις πράγμασιν ἁρμόσειε, προστασία δὲ ἑνὸς ἀνδρὸς μάλιστ' ἂν αὐτὰ σώσειεν [1] ». Ex quo intelligi potest Tiberium sibi propositum habuisse ut « προστασίαν ἑνὸς ἀνδρὸς » ab Augusto institutam, utpote reipublicæ salutarem, servaturus esset. Cui postea modestiores factos optimates omnino assentiri ex his Taciti de Augusto verbis constat « dedit jura quis pace et principe uteremur », et « postquam bellatum apud Actium... omnem potentiam ad « unum conferri pacis interfuit [2] ».

Augustus etiam a Tiberio probatur quod senatui rem publicam gerendam tradiderit, senatus autem quod Augusto « χρόνον γέ τινα », quod quinquies iterum factum est, restituerit [3]. Augusto quoque gratulatur quod imperium, a senatu restitutum, patribus et principi sociatis administrandum dederit « οἷς ἐξ ἴσου καὶ αὐτὸς τὴν γνώμην ἐδίδου « καὶ μεθ' ὧν συμμεθίστατο · οἷς πάντα τὰ μέγιστα καὶ ἀναγκαιό- « τατα ἀεί ποτε... ἐπεκοίνου [4] ». Quæ verba cum Ancyrano monumento et eo sermone conveniunt quem Augustus in curia, anno XXVII, habuerat « τὰ κοινὰ κοινῶς ἂν πολὺ « βελτίον ἅτε καὶ ὑπὸ πολλῶν ἅμα διαγόμενα, καὶ μὴ ἐς ἕνα τινὰ « ἀνηρτημένα διοικοῖτο [5] ». Tiberium quidem non fugiebat ab Augusto senatores specie tantum imperii socios fuisse, sed quæ fieri vellet eis verbis omnes docebat. Hæc autem fuit, aiebat Tiberius, rei Romanæ partiendæ ratio « τὰ μὲν « ἐπίπονα καὶ ἐμπολέμια ἔθνη αὐτὸς καὶ φρουρήσειν καὶ σώσειν « ὑπεδέξατο, τὰ δ' ἄλλα τὰ εἰρηναῖα καὶ ἀκίνδυνα ὑμῖν ἀπέδωκε » ; tamen « τῶν βουλευτῶν οὐκ ἐν ταῖς ἡγεμονίαις τὴν τοῦ κλήρου « τύχην ἀφείλετο [6] ».

Augustum propterea extollit quod senatorum facultates juverit iisque dignitatem restituerit « ὧν τὸ φαῦλον τὸ ἐκ

1. Dio Cassius, LVI, 40.
2. Tacitus, *Annales*, III, 28; *Historiæ*, I, 1; cf. Galba Pisoni : « Si immensum imperii corpus stare ac librari sine rectore posset, dignus eram a quo respublica inciperet » (Tacitus, *Historiæ*, I, 16). Cf. Plinium *Panegyricum*, *Epistolas*, passim.
3. Dio Cassius, LVI, 40.
4. Ibid., LVI, 41.
5. Ibid., LIII, 8; Cf. Suetonium, *Octavianus*, 37.
6. Ibid., LVI, 40.

« τῶν στάσεων ἐπιπολάσαν ἀλύπως ἀφελὼν, τὸ λοιπὸν αὐτῷ τε « τούτῳ ἐσέμνυνε, καὶ τῇ αὐξήσει τοῦ τιμήματος ἐμεγάλυνε, τῇ « τε δόσει τῶν χρημάτων ἐπλούτισεν [1] ».

Augustum laudat qui, non aliter quam privatus quilibet, sese habuerit et injuria aut vi in omnem civem abstinuerit. « Καὶ τοὺς μὲν ἀρητήν τινα ἔχοντας, ἀφθόνως εἴα οἱ παρισοῦσθαι, « τοὺς δ' ἄλλως πως βιοῦντας οὐκ ἤλεγχεν [2]. » Quin etiam æquo animo refert quosdam de interficiendo Augusto conjuravisse « θαυμαστὸν μὲν γὰρ οὐδὲν εἰ καὶ ἐπεβουλεύθη ποτὲ, οὐδὲ « γὰρ οὐδ' οἱ θεοὶ πᾶσιν ὁμοίως ἀρέσκουσιν [3] ».

Tiberius denique, quanquam non præterivit Augustum militibus innixum esse, addidit eum nunquam militibus injunxisse ut civitati graves essent. « Στρατιώτας τε τοσούτους ἀθανάτους πρὸς τὸ προπολεμεῖν ὑμῶν τρέφων οὐδενὶ τῶν σφετέρων λυπηροὺς αὐτοὺς ἐποίησεν, ἀλλά... πρὸς τὸ οἰκεῖον ἀόπλους, ἀπολέμους εἶναι παρεσκεύασε [4]. » Quibus verbis imperator fortasse significavit se tum vi militum in patres civitatemque abstinere velle, tum senatores sibi socios adsciscere qui militibus, si occasio tulerit, obsisterent.

1. Dio Cassius, LVI, 41.
2. Ibid., LVI, 40.
3. Ibid
4. Ibid.

CAPUT QUARTUM

DE TIBERIO SENATUI SOCIETATEM IN EXERCENDO IMPERIO PRÆBENTE, UNDE DICI POTEST CÆSAREM « DYARCHIAM » EXPERIRI VOLUISSE.

Paullo post in senatu gravissima quædam res acta est. Tiberius, utpote collega Augusti, Augusto mortuo, imperium proconsulare jam retinuerat et litteras ad exercitus provinciasque tanquam adepto principatu miserat; jam, tribuniciæ suæ potestatis præscriptione edictum quo patres in curiam vocaret posuerat, cum subito consules senatum vocant et apud eum relationem faciunt, de qua inter Tiberium senatui partem imperii deferentis et senatum negantem disputatio oritur. Quod Tacitus his verbis expressit « Versæ ad Tiberium preces. Et ille varie disserebat de magnitudine imperii, sua modestia : solam divi Augusti mentem tantæ molis capacem; se in partem curarum ab illo vocatum experiendo didicisse quam arduum, quam subjectum fortunæ regendi cuncta onus. Proinde in civitate tot illustribus viris subnixa non ad unum omnia deferrent; plures facilius munia rei publicæ sociatis laboribus exsecuturos. Plus in oratione tali dignitatis quam fidei erat; Tiberioque, etiam in rebus quas non occuleret, seu natura, sive assuetudine, suspensa semper et obscura verba; tunc vero nitenti ut sensus suos penitus abderet in incertum et ambiguum magis implicabantur [1]. »

E quibus patet Tiberii permissu consules eam relationem fecisse. Disputatione enim procedente, senatores ipsi ani-

1. Tacitus, *Annales*, I, 11.

madverterunt principem, si voluisset, relationi consulum jure tribuniciæ potestatis intercedere potuisse [1].

Sed de quibus in illa relatione actum est? Tacitus quidem, obscurus ut solet, de iis tacet. Quæ etiam obscurius Dio Suetoniusque narrant [2]. De tribunicia potestate certo non agi potest, quippe quam Tiberius in perpetuum acceperit. Forsan quis, nec sine ratione aliqua, existimaverit illa relatione postulatum esse ut Tiberio, soli superstiti, provinciæ imperiumque proconsulare, quæ communiter cum Augusto a senatu in decem annos acceperat, iterum deferrentur. Attamen Tiberius, cum imperium proconsulare mortuo Augusto jam exercuisset, non poterat per collegæ Augusti mortem eo munere exui. Alia vero jura atque imperium proconsulare et tribuniciam potestatem Augustus detinuerat; adde quod Tiberius ad postremum a senatu omnia Augusti jura, neque solum imperium proconsulare, accepit, excepto summi pontificis munere quo postea tantum potitus est [3].

Forsan quoque existimaveris de singulis Augusti juribus deliberatum fuisse, ita ut de lege quadam regia statueretur illius simili quæ Vespasiano decreta est. Tiberius autem minime cautus fuisset si, præsenti senatu et palam, aperuisset qualia et quanta ea jura essent quæ Augustus in se singula paulatim traxerat et quasi subripuerat, cum præsertim, re, non instituti cujusdam vi, eorum nonnulla Augustus occupavisset. Augustus enim de iis juribus quæ anno XXVII ante J. Chr. senatui restituit ambigue locutus est; quæ jura ei senatus restituit, obscurioribus verbis usurpatis. Augusti imperium Dio προστασίαν vocat, quo verbo Tiberius quoque in Augusti laudatione utitur, sicut Velleius « statio paterna » cum de Tiberio Augusti successore loquitur [4]. Ergo verisimillimum est de omnibus iis juribus quæ ab Augusto Tiberio transmissa sunt summatim relatum, neque illa jura enumerata fuisse.

1. Tacitus, *Annales*, I, 13.
2. Dio Cassius, LVII, 2; Suetonius, *Tiberius*, 24.
3. Vide Herzog, t. II, p. 234 « de occupato principatu ».
4. Velleius, II, 124.

II

Quæri autem potest cur Tiberius de principis juribus in senatu referendum existimaverit, cum jam imperium proconsulare tribuniciamque potestatem exercuerit. Veteres quidem historici patresque putaverunt Tiberium impudentissimum mimum præstitisse, quippe qui imperium, quo jam potitus erat, senatui restituisset quod ab eodem rursus accepturus esset [1]. Quibus primum objici potest Tiberium non totum imperium a senatu postulare sed cum senatu consociandum imperium : « se didicisse quam arduum, « quam subjectum fortunæ regendi *cuncta* onus », se nolle « ad unum omnia » deferri, « plures facilius munia reipu- « blicæ sociatis laboribus exsecuturos [2] ». Merito dixerim Tiberium speravisse senatum, cum imperium ei restituturum, tum sese imperii socium præstiturum esse.

Quorum rationem reddideris si memineris Augustum imperium jam senatui restituisse, a senatu autem rogatum esse ut illud reciperet, quod denique accepit; ita ut Tiberius, in funebri laudatione, Augustum extulerit quod senatui imperium concessisset, senatum vero quod idem Augusto restituisset [3].

Non tamen Tiberius Augustum tantummodo imitari voluit, sed eo ipso quod imperium a senatu accipere voluit, senatum in summo imperio esse professus est. Hoc quoque animadvertendum Tiberium a senatu milites postulavisse, quos, dum funera Augusti celebrarentur, custodes haberet : quo sic optimatum auctoritati et civilibus moribus favebat ut merito concluseris eum senatus majestatem veritum esse. Adde quod Tiberius, cum, Augusti exemplo, se imperium renuntiare in senatum finxerit, eo ipso declaravit a

1. Tacitus, *Annales,* I, 11 ; Suetonius, *Tiberius*, 24.

2. Tacitus, *Annales*, I, 11 ; Suetonius, *Tiberius* « universæ sufficere solus nemo possit ».

3. Cf. Mommsen, *Res gestæ divi Augusti*, VI, 13-17; Abraham, *Tiberius und Sejan*, pp. 8, 9.

se, ut ab Augusto, senatum populi romani personam agere existimari [1].

Eo quoque Tiberius nuntiavit se labores cum senatu sociaturum esse, ita ut imperium simul et collegarum modo exercerent. Ea quidem verba, quibus Tiberius usus est, « sociatis laboribus » suspensa sunt et obscura. Ceterum, cum senatus potestas, republica libera vigente, nullis finibus certe determinata esset, non fieri poterat quin de senatus potestate accuratius diceretur. Verba tamen « sociatis laboribus » senatum et principem ut collegas pari potestate ornatos consociandos que indicare videntur.

Quod Tiberius suæ quoque potestatis causa fecit, Dione auctore « παρὰ τῆς βουλῆς ἀναγκαστὸς, ὡς καὶ κατ᾽ ἀρετὴν σφῶν « προήκων, δόξειεν αὐτὴν (τὴν ἀρχὴν) εἰληφέναι » [2]. Nempe jura sua a senatu institui voluit. Quod fiet si senatus imperium ei restituet et se imperii socium præstabit. Ea jam Augusti fuerat agendi ratio, quam Tiberius ipse secutus est cum a patribus custodes postulavit.

Jura enim Tiberii a senatu institui oportet. Quod ad tribuniciam potestatem et imperium proconsulare spectat, quæ lege Tiberius, jam vivo Augusto, adeptus erat, a senatu confirmari decere ; ea autem quæ ab Augusto tribuniciæ potestati et imperio proconsulari conjuncta erant a senatu Tiberio revera attribui oportere dixerim. Non aliter se res habuit, mutatis mutandis, cum Claudius, a prætorianis Imperator jam appellatus, tum a senatu jussus est ut quod a summo reipublicæ concilio decerneretur exspectaret et in curiam cum patribus deliberaturus veniret [3]. Nam, etsi lege Tiberius duos magistratus obtinuit, tamen militibus tantum niti existimatur, ita ut a « senatu populoque romano » ejus potestatem confirmari necessarium sit. Præterea jura quæ nondum Cæsar detinet, a « senatu populoque romano » accipienda sunt. Hoc ideoque addendum, senatum, non solum

1. Cf. Velleius Paterculus « pugnantis cum Cæsare senatus populique Romani » (II, 124). Vide Mommsen, *Droit public romain*, t. VII, pp. 489-492.

2. Dio Cassius, LVII, 3.

3. Suetonius, *Claudius*, 10. Galba « consulatatus Imperator, *legatum se senatus ac populi Romani* professus est » (Suetonius, *Galba*, X).

in republica optimatibus fulta optimatum conventum et tanquam præsidium esse, sed moris majorum quasi patronum et defensorem haberi.

Cum etiam nonnulli contenderent principatum inutilem esse, Tiberius a senatu voluit imperium sibi deferri et ab utroque exerceri; jam principatum salutarem esse in laudatione Augusti probare conatus erat [1]. Cum autem sibi nonnullos obstituros esse prævideret, inter quos Libonem Suetonius nominat, ei senatus assensu opus erat quem obsistentibus objiceret [2]. Tiberio profecto magis quam Augusto necessarium erat ut a senatu princeps institueretur, cum imperium proconsulare simul atque Augustus adeptus, mortuo etiam Augusto exerceret, ita ut ipsam reipublicæ hereditatem ab Augusto quasi accepisset, quod Romani ægre ferebant [3] : dabat igitur famæ ut vocatus electusque potius a republica videretur quam per uxorium ambitum et senili adoptione irrepsisse [4]. Imo Tacitus Suetoniusque narrant Tiberium senatui imperium deferre voluisse ne Germanicus, in cujus manu tot legiones, immensa sociorum auxilia, mirus apud populum favor, habere imperium quam exspectare mallet [5].

Tiberius denique ab Augusto, cujus divinitas tunc decreta est, nomen Augusti non acceperat, quo socius cum diis Cæsar Octavianus factus est, et supra optimates et cives omnesque mortales erectus [6]. Forsan quoque anxius et incertus quid de se et de republica futurum esset, in vita civili non satis versatus, optimatum malignitatem non

1. Abraham, *Tiberius und Sejan*, p. 5, 8; Stahr, *Tiberius Leben*, p. 70; Schiller, *op. cit.*, t. I, p. 252.

2. Suetonius, *Tiberius*, 25.

3. Tacitus, *Annales*, I, 8; I, 7; *Historiæ*, I, 16 : « sub Tiberio et Gaio et Claudio unius familiæ quasi hereditas fuimus, loco libertatis erit quod eligi cœpimus »; Mispoulet, *op. cit.*, t. I, p. 247 note 12. Cf. Gsell, de Tito Vespasiano, *op. cit.*, p. 27.

4. Tacitus, *Annales*, I, 7.

5. Ibid., IV, 57; Suetonius, *Tiberius*, 25.

6. Cf. Augustum : « Rem publicam ex mea potestate in senatus populique romani arbitrium transtuli; *quo pro merito meo* senatusconsulto Augustus appellatus sum » (*Res gestæ divi Augusti*, ed. Mommsen, VI, 13-15, 16). Cf. Tiberium apud Dionem Cassium, LVII, 8.

monitus, magnopere cupiebat consensu senatus quem antea Augustus obtinuerat animo confirmari [1].

Nonne autem ab omnibus tanquam imperator agnosceretur, cum ei senatus imperium restituisset imperiumque communiter exercendum accepisset?

Adde quod Tiberius rempublicam liberam iterum vigere finxerit, in quo Augustum sequebatur : itaque senatum principis suasorem haberi voluit, sicut vetere republica magistratuum. Senatu etiam, cujus ope multa et magna, reipublicæ ætate, gesta erant, tanquam necessario regni instrumento se usurum esse arbitrabatur. Fortasse quoque Tiberius, optimatum fautor, oblitus est se ut ad imperium ascenderet militibus nixum esse, et sibi visus est reipublicæ instituta cum imperatoris potestate accommodare posse [2]. Eo significatur quod, Agrippa Posthumo occiso, rem ad senatum deferre in animo habuit. Nisi forte Tiberius, revera defessus, senatum voluit sibi socium adjungere cui totum imperii onus postea traderet : sub fine enim deliberationis, quod infra narrabimus, sic locutus est « dum « veniam ad id tempus quo vobis æquum possit videri dare « vos aliquam senectuti meæ requiem » ; imo quemdam e propinquis suis adjutorem et successorem secum elegit, quam brevissime consociandum ; ceterum vulgabatur Augustum de reddenda republica bis cogitavisse [3].

III

Quod Tiberius in animo habuerit, ea quæ deinceps in senatu acta sunt demonstrant. Cum princeps suspicare-

1. Madvig, *op. cit.*, t. II, p. 70. Cf. Tiberium apud Suetonium ; « adhortantes amicos increpans, ut ignaros, quanta bellua esset imperium », etc. (*Tiberius*, 24). Vide etiam Suetonium, *Tiberius*, 25.

2. Madvig, *op. cit.*, t. II, p. 263 : « La monarchie romaine dans les premiers temps n'osait pas révéler son véritable caractère et ne s'en rendait peut-être pas compte elle-même. »

3. Suetonius, *Octavianus*, 28. Seneca, *De brevitate vitæ*, 5. Cf. Tiberium « satis onerum principibus, satis etiam potentiæ » (Tacitus, *Annales*, III, 69 ; Hirschfeld, *op. cit.*, p. 285).

tur senatores in ipsius oratione plus dignitatis quam fidei animadvertere, « proferri libellum recitarique jussit. Opes « publicæ continebantur : quantum civium sociorumque in « armis, quot classes, regna, provinciæ, tributa aut vecti- « galia, et necessitates ac largitiones. Quæ cuncta sua « manu perscripserat Augustus....... Inter quæ, senatu ad « infimas obtestationes procumbente, dixit forte Tiberius « se, ut non toti reipublicæ parem, ita, quæcumque pars « sibi mandaretur, ejus tutelam suscepturum [1] ». Et Suetonius : « partes sibi, quas senatui liberet, tuendas in repu- « blica, depoposcit [2] », et Dio etiam apertius « Ἔπειτα δὲ κοινω- « νούς τέ τινας καὶ συνάρχοντας οὔτι γε καὶ πάντων καθάπαξ ὥσπερ « ἐν ὀλιγαρχίᾳ, ἀλλ' ἐς τρία μέρη νέμων αὐτὴν, ᾔτει · καὶ τὸ μὲν « αὐτὸς ἔχειν ἠξίου, τῶν δὲ ἑτέρων ἄλλοις παρεχώρει· ἦν δὲ ταῦτα « ἓν μὲν ἥ τε Ῥώμη καὶ ἡ ἄλλη Ἰταλία· ἕτερον δὲ τὰ στρατόπεδα. « καὶ ἕτερον οἱ λοιποὶ ὑπήκοοι [3]. »

Eam primum deliberationis partem inspiciamus. Tiberius nempe senatui proposuit « munia reipublicæ, sociatis laboribus » : negante autem senatu, Cæsar proposito insistit, cui, majorem sibi fidem paraturus, addit se rem Romanam in regiones divisurum esse quas tum senatus tum princeps pro parte sua administraret ; munia enim reipublicæ non aliter ac sociatis laboribus posse regi, regiones autem inter unumquemque dividi. Itaque Tiberius senatui opes publicas exponit et rem Romanam in tres regiones dividendam proponit, primo Romam et Italiam, secundo provincias et stationes legionum, tertio senatorias et inermes provincias, quarum aliam partem senatus, aliam ipse, aliam senatores pro magistratu agentes habebunt.

Quod quidem Dio Cassius asserit nunquam factum esse, quia in oligarchia de dividendo imperio non cogitari possit [4]. Errat Dio. Ita enim Augustus se gesserat, rei publicæ morem quodam modo secutus, cum, vetere republica, senatus simul atque magistratus Romam et Italiam Romæ junc-

1. Tacitus, *Annales*, I, 11.
2. Suetonius, *Tiberius*, 25.
3. Dio Cassius, LVII, 2.
4. Dio Cassius, LVII, 2 « οὔτι γε καὶ πάντων καθάπαξ ὥσπερ ἐν ὀλιγαρχίᾳ ».

tam regeret, et provincias senatoribus pro magistratu agentibus regendas mandaret. De quo Tiberius ipse laudaverat Augustum. Parentem igitur Tiberius imitabatur et veterum instituta observabat.

Unde apparet, quod verbis « sociatis laboribus » jam expressum erat, scilicet, Tiberium senatum pro collega habuisse pari potestate ornato, quippe cum non modo senatum rogaret ut cuncta secum gereret, sed etiam cum senatu regiones imperii administrandas pariter dividere vellet.

Senatu iterum negante se illud accepturum esse, Tiberius senatui partes eligendas offert quas administraret [1]. Ita Tiberius senatui jus in universam rem Romanam concessit, sicut nuper senatum in summo imperio esse professus est. Imo Tiberius, quanquam in eo Augustum sequitur, majorem etiam erga senatum reverentiam fingit, cum suam in re Romana regionem administrandam Augustus ipse sibi attribuisset, Tiberius autem regione a senatu relicta contentus esse videtur. Quæri quidem potest utrum reipublicæ pristinum morem sequi voluerit, quoniam senatus, vetere republica, administrandas provincias mandabat, an, impetrandæ senatorum in regendo imperio consortionis cupidissimus, tandem provectus sit ut tanquam summam imperii senatui concederet. Quod quidem verbo « forte » a Tacito expressum, et inspicienti quales se in deliberatione senatores et princeps præstiterint, verisimillimum esse videbitur [2]. Tiberius igitur, cum regendi cuncta onus senatui tradidit ut sibi communiter cum senatu ferendum a patribus restitueretur, sed etiam cum rem Romanam inter principem et senatum dividendam senatui concessit, senatui summam imperii dedit, Augusto dissimilis qui in dividenda re Romana summam auctoritatem senatui

1. Tacitus, *Annales*, I, 12 : « Inter quæ, senatu ad infimas obtestationes procumbente, dixit forte Tiberius se, ut non toti reipublicæ parem, ita quæcumque pars sibi mandaretur, ejus tutelam suscepturum. » Suetonius, *Tiberius*, 25 « partes sibi, quas senatui liberet, tuendas in republica depoposcit ». Dio Cassius, LVII, 2.

2. Tacitus, *Annales*, I, 12.

esse non tam aperte professus erat [1]. Tiberius non modo dyarchiam esse voluit sed senatus propemodo monarchiam.

Quæ tamen non lege, publice, instituta est, non propterea tantum quod Tiberio mos erat sensus suos penitus abdere, sed quia nulla unquam legibus definita fuit senatui auctoritas.

IV

Tiberii quidem propositum a senatu grato animo acceptum fuisse forsan quis crediderit. Tiberius autem confestim, defuncto Augusto, hoc est stationem militum, vim et speciem dominationis assumpsit : senatus igitur haud dubitare potest quin, Tiberio auctore, relatio consulum de imperio facta sit ita ut tandem Tiberio summa potestas concedatur. Tiberio quidem ab exercitibus et iis provinciis quæ exercituum stationes erant tanquam imperatore jam salutato, haudquaquam dubitari potest quin senatus illam imperii regionem non adepturus sit, ita ut specie tantum jus regiones administrandas eligendi Tiberius senatui dederit. Non aliter Tiberius custodes a senatu postulavit, jam exercitu potitus. Agrippæ vero Posthumi cædis senatum haud certiorem fecit, quod secretam res publicas tractandi rationem indicabat.

Itaque senatus, ne a Tiberio decipi videatur, fictam cum Tiberio consortionem rejicit. Immerito quidem. Jura enim quæ a Tiberio obtenturus esset, etsi magis specie quam re concessa, magni tamen momenti erant si cogitaveris, vel munibus ficte senatui concessis, Romanorum animos magnopere affectum iri. Hunc autem habitum Tiberium simulavisse ut verba patrum animadverteret alii existimant,

1. Cf. Neronem, ineunte principatu : « Teneret antiqua munia senatus; consulum tribunalibus Italia et publicæ provinciæ assisterent, illi patrum aditum præberent : se mandatis exercitibus consulturum » (Tacitus, *Annales*, XIII, 4).

alii quod Germanicum metueret, quapropter eum irrident, alii denique manifestum esse volunt se ficta Tiberii cunctatione minime ludificari : Tum Asinius Gallus « Interrogo, « inquit, Cæsar, quam partem reipublicæ mandari tibi velis » et Haterius « Quousque patieris, Cæsar, non adesse caput « reipublicæ ? » Scaurus « spem esse ex eo non irritas fore « senatus preces, quod relationi consulum jure tribuniciæ « potestatis non intercessisset [1] ». Quos quidem Augustus supremis sermonibus Tiberio nominaverat ut principatui periculosissimos [2].

Tum Tiberius, inquit Tacitus, « fessus clamore omnium, « expostulatione singulorum, flexit paulatim, *non ut fatere-« tur suscipi a se imperium*, sed ut negare et rogari desi-« neret [3] ». Quod autem Suetonius his verbis enarrat « *rece-« pit imperium*... nec tamen aliter quam ut depositurum se « quandoque spem faceret. Ipsius verba sunt hæc « dum « veniam ad id tempus, quo vobis æquum possit videri, dare « vos aliquam senectuti meæ requiem [4] ». Etsi Suetonius cum Tacito in ea re dissidet, Suetonio libentius crediderim, cum ipsa Tiberii verba retulerit. Cuncta igitur Augusti jura senatus Tiberio tradidit, excepta summi pontificis dignitate. Dio enim narrat Tiberio imperatorem nomen et alia Augusti ὑπό ψήφισματος concessa esse [5]. Imperium tamen Tiberius, Augusti exemplo, accipit *dum veniat ad id tempus* quo senatus ei successerit, quo iterum profitetur senatum summo in imperio esse [6].

V

Quo nuntiato, civium unusquisque animo refectus est, quod Velleius his verbis expressit « id solum vocem publi-

1. Tacitus, *Annales*, I, 13; Suetonius, *Tiberius*, 24; Dio Cassius, LVII, 2.
2. Tacitus, *Annales*, I, 12; I, 13.
3. Tacitus, *Annales*, I, 13.
4. Suetonius, *Tiberius*, 24.
5. Dio Cassius, LVII, 2.
6. Cf. Augustum : « Omnis ejus sermo ad hoc semper revolutus est ut sibi pararet otium » (Seneca, *De brevitate vitæ*, 5).

cam dixisse satis habeo : cujus orbis ruinam timueramus, eum ne commotum quidem sensimus, tantaque unius viri majestas fuit ut nec bonis neque contra malos opus armis « foret[1] ». Res Romana enim novum ducem invenerat, ita ut reipublicæ gerendæ ratio, ab Augusto instituta, perpetuaretur. Præterea, si speciei tantum credideris, Tiberio auctoritas, ut Augusto olim, imo magis absoluta quam Augusto, a senatu tradita erat, cum imperium, quod in legiones et imperatoris provincias exercendum obtinuisset, nulla temporis conditione definitum esset. Illud tamen non sponte senatus Tiberio restituit, quod de Augusto merito diceretur : erga Tiberium enim infensus, imperium potius negavit quam Tiberio restituit [2]; imo imperium, Tiberio socio, administrare noluit. Denique, procedente deliberatione, patuit plures optimates, jam potestatis avidos, principis in senatum reverentia concitatos esse ut magis etiam auderent.

Nunc vero apparet dyarchiam, Tiberio principe, non publice institutam esse, sed tantum ex voluntate principis pendere, nulla lege, nullo tempore definitam. Sequitur quoque omnia Tiberio servire. Quæ cum ita sint, dyarchia eadem atque Augusto principe manet ; princeps autem ad hanc agendi rationem sane propensior ; in eam contra senatus alieno animo esse videtur.

Quod utique difficillimum, multo magis grave atque arduum erat, cum, ut antea dictum est, optimates invidi et immodesti et imperiti essent, princeps juris sui tenax et irritabilis et animo turbatus. Senatu autem obstante, imperator qui jam militum auxilio principatum occupaverat, ad exercitum confugere tanquam cogebatur, senatusque detrimento monarchiam constituere, quam Augustus quodam modo inierat cum senatus auctoritatem jam minuisset, concilio principis et præfectura annonæ et præfectura Urbi institutis, et regendis ipsis senatus provinciis intervenisset.

1. Velleius, II, 124.
2. Abraham, *Tiberius und Sejan*, p. 9.

CAPUT QUINTUM

QUO MODO, PER DECEM SIVE DUODECIM PRIORES PRINCIPATUS ANNOS, COMMUNITER CUM SENATU RES GERENDAS TIBERIUS SIBI PROPOSUERIT.

Uni igitur Tiberio regendi cuncta onus senatus reliquerat. Inspiciendum autem an ipse Tiberius omnia rexerit.

Tacitus quidem, quod a Fabia demonstratum est, Tiberii principatum tanquam tragædiam exposuit duobus actibus divisam, quorum altero videmus quomodo Germanicus auctoritate creverit, postea mortuus sit, altero autem quomodo, imperii pæne socius, Sejanus tandem ceciderit [1]. Falso vero. Una enim fuit Tiberii agendi ratio : senatui specie summum imperium concedere, re autem imperium cum senatu communiter administrare. Quod, magis quam Augustus revera fieri Tiberius voluit, *ita ut senatus sibi principem adjutorem adscivisse videretur*. Herzog vero Tiberium tyrannidem exercuisse asserit « in dem griechischen Sinne des Wortes, nach velchem neben einer bestehenden Verfassung Alleinherscher übertragene oder usurpierte Gewalt in einer Weise führen dass die Person des Herrschers alles bestimmt » Quod non accepimus, cum tyrannus potentiam obumbrare non curavisset. Προστασίαν vel principis civium auctoritatem, non tyrannidis vim censemus Tiberii fuisse potestatis formam [2]. Hanc agendi rationem in qua dyarchia consistit, utpote nulla lege definitam, senatorum ceterum odio et imperitia impeditam, Tiberius hic et nunc repudiavit, interdum rursus observavit,

1. Fabia, *op. cit.*, p. 438.
2. Vide Herzog, *op. cit.*, t. II, p. 232.

ab ea vero paulatim deflexit. Ita quidem jure memoravit Tacitus senatum primum principi Germanicum opponere voluisse, deinde Tiberium, ut senatum cohiberet, ad Sejanum cohortibus prætoriis præfectum confugisse, quem tanta auctoritate auxit ut sibi ipsi periculosum faceret. Interea tamen Tiberius omnibus modis studebat ut ad dyarchiam experiendam senatus se accommodaret.

Rectius quidem a Tacito, Suetonio et Dione Cassio dictum est primo Tiberium ut cum senatu res gereret sibi proposuisse, deinde in senatum sæviisse. Animadvertendum tamen eos, cum annum quo Tiberius animum mutaverit indicant, discrepare. Ex quo patet, quod ex postea gestis manifestius etiam apparebit, non hoc aut hoc anno Tiberium rationem suam erga senatum mutavisse, per gradus autem patrum et optimatum odio irritatum et defatigatum fuisse. Itaque, ut omnia brevibus verbis dicam, usque ad hoc tempus, quod inter Drusi mortem et supremum principis a Roma discessum includitur, scilicet inter XXIII et XXVI annum, nempe per decem vel duodecim priores principatus annos, Tiberius senatui bene volens, simul cum eo res gerendas sibi proposuit.

I

Cum animis senatorum et principis hæserint ea, quæ in senatus concilio quod narravimus ex utraque parte dicta sunt, senatores Tiberio diffidentes tum ejus dona ægre acceperunt, tum ei adulati sunt ; Tiberius autem, discrimina undique imminentia magis ac magis metuens, « lupum se auribus tenere » dicebat. Sæpius quoque se morbo laborare finxit, ita ut eos qui imperii avidi erant spe suæ mortis deciperet, domi se occlusum tenuit ne quid gereret quod quis in pejorem partem interpretari posset, sic cunctatus ut tempore auctoritas validior evaderet [1].

1. Tacitus, *Annales*, I, 46; Suetonius, *Tiberius*, 25, 38; Dio Cassius, LVII, 3.

Statim autem apparuit Tiberium dyarchiæ rationem usurpare velle. Etenim senatum tanquam adjutorem tractavit. Senatui quidem valde gratum fuit quadam auctoritate valere et imperium communiter cum principe exercere.

Tiberius igitur « οὔτε δεσπότην ἑαυτὸν τοῖς ἐλευθέροις, οὔτε « αὐτοκράτορα, πλὴν τοῖς στρατιώταις, καλεῖν ἐφίει.... Τὸ δ' ὅλον « Καῖσαρ, ἔστι δ' ὅτε καὶ Γερμανικὸς.., πρόκριτός τε τῆς γερουσίας « κατὰ τὸ ἀρχαῖον, καὶ ὑφ' ἑαυτοῦ ὠνομάζετο · καὶ πολλάκις γε « ἔλεγεν ὅτι « Δεσπότης μὲν τῶν δούλων, αὐτοκράτωρ δὲ τῶν στρα- « τιωτῶν, τῶν δὲ δὴ λοιπῶν πρόκριτός εἰμι [1] ». Nomen quidem « dominus » Augustus abnuerat, Tiberius vero etiam « Imperator » nomen abnuit quod Augustus, Cæsaris instar, nomini suo tanquam prænomen addiderat quod ejus summum imperium significabatur [2]. Idemque semper curavit ut a militibus solis tanquam « Imperator » salutaretur, quo declararet se non imperium absolute dictum sed imperium militare tantummodo exercere. Tiberius quoque, cum « Augustum » non a civibus appellari, quo se supra omnes mortales evexisset, sed tantum ab externis regibus salutari vellet, majorem quam Augustus erga veteris reipublicæ mores reverentiam, majus etiam odium adversus omnia quæ monarchiam redolerent præstabat [3]. Denique honores divinos repudiavit, cum Augusto ab optimatibus exprobratum esset nihil deorum honoribus relictum quoniam se templis et effigie numinum per flamines et sacerdotes coli vellet [4].

Ab iisdem autem Augustus laudatus quod « non regno neque dictatura sed principis nomine » rempublicam constituisset : cujus exemplum secutus, Tiberius maluit se « principem » vocari, etsi nomen illud nullius potestatis signum erat. Quem sic ab omnibus appellatum esse, utpote sibi Cæsaris gratiam conciliaturis, Velleius testatur, necnon ea quæ, inscriptionibus aut monumentis tradita,

1. Dio Cassius, LVII, 8.
2. Mommsen, *Droit public romain*, t. V, pp. 12-15, 19, 20, 24-28, 118.
3. Suetonius, *Tiberius*, 26; Dio Cassius, LVII, 2, 8; Mommsen, *Droit public romain*, t. V, pp. 12-15, 30-38.
4. Tacitus, *Annales*, I, 10; Dio Cassius, LVII, 9.

dedicationem aliquam referunt [1]. Nomen enim « princeps », hoc est civium princeps, cum moribus liberæ reipublicæ plane consentiebat. Quo tamen nomine auctoritas quædam Tiberio conferebatur, cum nihil satis illustre aut ex dignitate populi Romani esset nisi coram et sub oculis principis [2].

Ceterum Tiberius cuncta Augusti munia retinuit. Non modo omnia jura adeptus erat legibus instituta, sed tutelam etiam vel tuitionem quamdam in cuncta et singula rei publicæ [3]. Hæc enim ejus sunt verba « Expedit me dicere quid e republica censeam », et « non ædilis aut prætoris, aut consulis partes sustineo. Majus aliquid et excelsius a principe postulatur [4] ». Omnium quoque gentium quasi paterfamilias habebatur cum diceret « si quid in moribus labaret, se non defuturum corrigendi auctorem [5] ». Hoc etiam « dixi et nunc et sæpe alias, patres conscripti, bonum et salutarem principem quem vos tanta et tam libera potestate instruxistis, senatui servire debere et universis civibus, sæpe et plerumque etiam singulis; neque id dixisse me pœnitet, et bonos et æquos et faventes vos habui dominos et adhuc habeo [6]. » Quibus verbis profitebatur se suorum gestorum, si qua incusarentur, rationem senatui redditurum esse. Neque quidem hæc inania verba fuerunt.

Tiberius enim, cum Augusto mortuo exprobratus esset extortus invito senatu consulatus, a consulatu exercendo initio principatus abstinuit [7].

Paullo post mortem Augusti, mense Septembri vel in autumno anni XIV, e campo comitia ad patres translata sunt, moderante Tiberio ne plures quam quatuor candi-

1. Tacitus, *Annales*, I, 9; Velleius, II, 124; Mommsen, *Res gestæ divi Augusti*, editio prima, p. 100; *C. I. L.* II, n° 2038; *C. I. L.* VI, 902, 904; Mommsen, *Droit public romain*, t. V, pp. 34-36; Stahr, pp. 345-346.

2. Tacitus, *Annales*, II, 35.

3. Ibid., III, 53; Mommsen, *Droit public romain*, t. III, p. 141.

4. Tacitus, *Annales*, III, 53.

5. Tacitus, *Annales*, II, 33; Suetonius, *Tiberius*, 35.

6. Suetonius, *Tiberius*, 29.

7. Tacitus, *Annales*, I, 10; Schiller, *op. cit.*, t. I, p. 285.

datos commendaret, sine repulsa et ambitu designandos [1]. Tiberius igitur magistratus eligendi jus, nempe summum populi imperium, senatui deferebat quod Augustus jam tentaverat. Senatui ergo populi personam agere, manifestius quam Augusto imperante, licitum est. Unde quoque sequebatur patres, utpote magistratibus jam functos, jus collegas suos eligendi a Tiberio accepisse. Proinde senatus, majore auctoritate ornatus, in unum corpus arctius coalescebat [2]. Senatus tum largitionibus ac precibus sordidis exsolvebatur, quibus antea suffragia populi humiliter assequi contendebat [3].

Quod Augustum jam in animo habuisse ex his Velleii verbis apparet : ordinationem comitiorum « manu sua « scriptam divus Augustus reliquerat [4] ». Veteris autem reipublicæ Tiberius rationem sequebatur, qua honores a comitiis centuriatis non impetrari possent nisi patres auctores facti essent [5]. Ceterum creditur, nec forsan immerito, Tiberium, ut solebat, mores reipublicæ veritum, ne populi imperium minui videretur, quos curia delegerit a comitiis populi romani ratos esse voluisse [6]. Populum quidem revera potestate sua spoliatum esse, ejus « rumor inanis », ut Taciti verbis utar, testatur [7].

Cum autem ita se erga senatum haberet Tiberius, ipsius auctoritatem augebat. Jus enim commendationis retinuit. In quo tamen exercendo, ut a Tacito dictum est, moderatus est ne plures quam quatuor candidatos commendaret ; Augustus contra, anno VIII ante J. Chr, omnes candidatos quemlibet magistratum petentes in comitiis publicis libellis

1. Tacitus, *Annales*, I, 15, 81 ; Velleius, II, 124 ; Dio Cassius, LVIII, 20 ; Mommsen, *Droit public romain*, t. V, p. 207 ; t. VII, p. 231, note 1, p. 467 et note 5.

2. Mommsen, *Droit public romain*, t. VII, pp. 37, 499.

3. Tacitus, *Annales*, I, 15.

4. Velleius, II, 124 ; Schiller, *op. cit.*, t. I, p. 180 ; Mommsen, *Droit public romain*, t. V, p. 152 ; t. VII, p. 500.

5. Lex Mœnia, 338 a. J. Chr. Herzog, *op. cit.*, t. II, p. 860.

6. Dio Cassius, LVIII, 20 ; Tacitus, *Historiæ*, II, 91 ; Plinius junior *Panegyricus*, 63, 64.

7. Tacitus, *Annales*, I, 15.

commendandi jus sibi attribuerat [1]. Mores etiam veteris reipublicæ secutus est Tiberius, cum « nominatio » pristina magistratuum non admodum dissimilis esset commendationi. Eo quoque Tiberii auctoritas augebatur quod, principe præsente, senatores in sententiam ibant. Crescebat tamen eo modo senatus auctoritas, quippe quem libentem tenuisse Tiberii propositum Tacitus dixerit [2]. Imo Tiberium hortati sunt patres ut plures candidatos nominaret, cui princeps assentiri noluit, cum jurejurando se obstrinxerit non excessurum numerum ab Augusto traditum [3].

Mox accidit ut jus candidatos commendandi, quod Tiberius detinebat, jus autem eligendi quod senatui concesserat, inter se pugnarent. Tiberius hoc sibi maxime proponebat ut candidati ab ipso commendati sine repulsa et ambitu eligerentur : quod a principio apparuit cum Velleius et Velleii frater, qui Tiberii maxime favebant, ineunte principatu, præturam tanquam Cæsaris candidati postulaverunt [4] ; quod et deinceps manifestum fuit. Senatus autem principem suis negotiis operam dare ægre passus est, etsi Tiberius modestius agere conatus est. « De comitiis consularibus, quæ tum primum illo principe ac deinceps fuere, inquit Tacitus, vix quidquam firmare ausim : adeo diversa non modo apud auctores, sed in ipsius orationibus reperiuntur. Modo, subtractis candidatorum nominibus, originem cujusque et vitam et stipendia descripsit, ut qui forent intelligeretur; aliquando, ea quoque significatione subtracta, candidatos hortatus ne ambitu comitia turbarent, suam ad id curam pollicitus est; plerumque eos tantum apud se professos disseruit, quorum nomina consulibus edidisset : *posse et alios profiteri, si gratiæ aut meritis confiderent* [5]. » Quæ esse speciosa verbis, re inania aut subdola, quantoque majore libertatis imagine tegerentur, tanto eruptura ad infensius servitium, senatus,

1. Dio Cassius, LV, 34; Cf. Mœcenatis verba apud Dionem (LII, 20).
2. Tacitus, *Annales*, I, 15. De *nominatione*, vide Herzog, t. II, p. 701.
3. Tacitus, *Annales*, I, 14.
4. Velleius, II, 124.
5. Tacitus, *Annales*, I, 81.

si Tacito credideris, arbitrabatur [1]. Etenim cum Caligula novum imperium inchoaret, in illo brevi temporis spatio quo senatorum gratiam sibi conciliare tentavit, jus eligendi comitiis restituit, senatu certo assentiente [2].

Tiberius quidem eamdem erga magistratus, hoc est senatario ordini, quam erga senatum reverentiam præstabat. Drusus nempe, principis filius, simul atque C. Norbanus consul factus, consulari munere pariter atque collega functus est [3]. Tribunis quoque concessum est, cum ludos in honorem Augusti celebrarent, ut per circum triumphali veste uterentur [4].

Quod ad Germanicum attinet, Tiberius certior factus erat senatores Germanicum ei ipsi anteponere, quamobrem si Tacito credideris Germanico invidebat. Germanico tamen proconsulare imperium petivit, quominus idem pro Druso postularetur ea causa quod designatus consul præsensque Drusus erat [5]. Quod cum ageret, Tiberius Germanicum simul atque filium Drusum tanquam successorem suum indicabat, ut antea Augustus Tiberium. Imo a senatu Germanico imperium proconsulare petivit, ut Druso consulatum. Collegio sodalium Augustalium addito, Tiberius sibi, cum Druso et Claudio ex Claudia gente, Germanicum collegam atque primores civitatis adscivit. Primus etiam flamen Augustalis Germanicus institutus est [6]. Quo Claudios et Julios et primores senatus secum Augusti cultu conjungere conabatur, quos jam Augustus omnes in hereditatem suam, tanquam unius familiæ participes, vocaverat. Ergo non dubitari potest quin Tiberius senatu niteretur. Quod omnibus, et præcipue legionibus, compertum est, quippe cum Pannonicæ et Germanicæ legiones seditionem moverint.

1. Tacitus, *Annales*, I, 81.
2. Suetonius, *Caligula*, 16.
3. Dio Cassius, LVII, 14.
4. Tacitus, *Annales*, I, 15.
5. Tacitus, *Annales*, I, 7, 14; Dio Cassius, LVII, 6.
6. Tacitus, *Annales*, I, 54; Orelli, 660, 661; *C. I. L.* VI, 909.

II

Etenim imperatoris potestas tum prætoriis cohortibus, tum legionibus valebat, inter quas plurimum Pannonicæ et Germanicæ pollebant, quippe quæ periculosissimis hostibus jam obstantes et obstituræ, numero omnium plurimæ, rei Romanæ utilissimæ, militum animo et moribus maxime institutæ essent. Quæ propterea profitebantur sua in manu sitam rem Romanam, suis victoriis augeri rempublicam, in suum cognomentum adscisci imperatores, credebantque vi sua cuncta tracturas esse [1]. Ad eas igitur quicumque novas res cupiebat animum convertebat, ad eas nempe, mortuo Augusto, qui Agrippam Posthumum circumdabant eum ducere voluerunt [2]. Quas quidem non fugere poterat Germanicum, ducem suum, ab Augusto et ab optimatibus Tiberio anteponi. Ipsæ ceterum prætorianis invidebant [3]. Hoc denique animadvertendum post Quintilii Vari cladem auctas fuisse eas legiones vernacula multitudine, acto in Urbe delectu, lasciviæ sueta, laborum intolerante : quæ cum Roma abfuerit, non mirandum quin sedato populo Tiberius imperium potitus sit, cum autem militiæ adfuerit, in legionibus seditionem motam esse [4]. Mutatus princeps licentiam turbarum, et, ex civili bello, spem præmiorum ostentabat [5].

Sed hæc præcipua seditionis causa fuit quod milites quænam post Augustum militiæ condicio ambigebant. Germaniciani principem detrectabant, non a se, sed a senatu datum; Druso autem seditiosis Pannoniæ legionibus dicente « Tiberium acturum apud patres de postulatis eorum », et « concessurum quidem quæ statim tribui possent, cetera

1. Tacitus, *Annales*, I, 31.
2. Ibid., II, 39.
3. Tacitus, *Annales*, I, 17; Suetonius, *Tiberius*, 25.
4. Tacitus, *Annales*, I, 31.
5. Ibid., I, 16.

« senatui servanda quem neque gratiæ neque severitatis « expertem haberi par esset », milites « exclamaverunt » novum id plane quod Imperator « sola militis commoda « ad Senatum rejiciat ». Germanicarum quoque legionum, quibus jam Germanicus magna et multa concesserat, cum legati a senatu in conspectu fuerunt, eos quidem venisse patrum jussu qui irrita facerent quæ per seditionem expresserant milites cogitaverunt, atque Munatium Plancum, consularem virum, principem legationis, auctorem senatus-consulti incusaverunt, quem propterea occidere voluerunt. His itaque verbis eos Germanicus increpuit « Cives ne appellem quibus tam projecta senatus auctoritas? » Milites igitur Imperatori obstabant qui civilem agendi rationem inierit, unde novus status, nova respublica non solum Tiberio, sed etiam senatui metuenda erant [1].

Tiberius ut Pannonicarum legionum seditionem cohiberet, sibi adjutorem senatum esse voluit. Ad eas nempe tum Drusum et prætorium et prætorio præfectum Sejanum tanquam vices principis, tum senatores nonnullos tanquam vices senatus gerentes misit. Quod plane cum ejus agendi ratione et temporum necessitate consentiebat, quoniam senatui auctoritatem in militiam esse jam professus esset, et senatus pariter atque ipse in periculo esse videretur [2]. Quo facto, senatum et ordinem senatorium, animo ambiguos, sibi socios parare tentabat. Quod insolitum merito dixeris, insolitumque milites existimarunt cum exclamarent novum id esse Imperatorem militis commoda ad senatum rejicere.

Quæ senatus minime curavit, sed tum seditione sic territus est ut veteri senatu virtute cedere visus sit, tum aperte lætatus est quod rem malam gestam Tiberio exprobrare posset. Optimates enim principem incusaverunt quod, Romæ moratus, patres inermes fictis cunctationibus ludificaretur atque cavillaretur. Hanc igitur occasionem senatus arripuit amissam potestatem restituendi, cum ardenter cuperet ut, Roma a Tiberio derelicta, ipse tandem evade-

1. Suetonius, *Tiberius*, 25; Tacitus, *Annales*, I, 24, 25, 26, 39, 42.
2. Velleius, II, 125; Tacitus, *Annales*, I, 24.

ret [1]. Tiberius contra abstrusus et tristissima quæque occultans, sedulo studuit ut, ea quam jam diximus ratione, Pannonicas legiones sedaret. Se quoque immotum adversus senatorum sermones fixumque præstitit non omittere « caput rerum », hoc est Romam [2]. Ita ut se rei publicæ gerendæ scientissimum præbuerit.

Quæ cum Tiberius providisset. Germanicus autem imperium a militibus propositum abnuisset, et milites quædam opportune concessa accepissent, seditio brevius desiit [3]. Inde vero principi compertum est suam protestatem, si quando militibus obsistere voluerit, a senatu, hoc est civili potestate, potius minui quam confirmari. Cum præterea C. Silius, superioris Germaniæ legatus, immodice jactavisset suum militem in obsequio duravisse, neque mansurum Tiberio imperium si iis quoque legionibus cupido novandi fuisset [4], Tiberio manifeste apparuit maximum periculum esse, si qui ex ordine senatorio legionibus et provinciis ubi legiones castra habebant, hoc est principis provinciis, præessent. Ea ipsa est causa cur Tiberius paulo post uxorem Germanici, Agrippinam, propter animum acrem et vehementem jam suspectam, incusaret quod in militum favorem occupando nimis studiosa esset [5]. Imo mox Germanicum ipsum a legionibus Germanicis abduxit. Nihil jam æque anxium habuit quam ne composita turbarentur, atque hæc ejus agendi ratio fuit consiliis et astu res externas moliri, arma procul habere [6]. Quamvis profecto non parvi momenti fuerit quod ab Augusto consilium coercendi intra terminos imperii acceperit, veterisque senatus vestigia sequi voluerit quippe qui non armorum vi sed consiliorum res tractaret [7], præsertim tamen, puto, studuit, ne bella gererentur quibus legatus legionum quidam, senatoria origine.

1. Dio Cassius, LVII, 5; Tacitus, *Annales,* I, 46.
2. Tacitus, *Annales,* I, 47.
3. Tacitus, *Annales,* I, 34, 35, 36-45.
4. Tacitus, *Annales,* IV, 18.
5. Ibid., I, 69.
6. Ibid., II, 65; VI, 32.
7. Tacitus, *Annales,* I, 11.

gloriam et potestatem et militum gratiam, conscio senatu, in principem sibi pararet.

III

Attamen Tiberius suum erga senatum consilium minime mutavit.

Anno XV quidem, Martis mense, cum nomine pontificis maximi jus in religionem sibi attribuit [1], ita ut omnia Augusti jura tum detineret. Sed paulo post nomen patris patriæ a populo sæpius ingestum repudiavit [2].

Erga vero matrem suam, Liviam, quæ, cum testamento Augusti in familiam Juliam nomenque Augustum assumpta esset, principi faciliorem ad imperium ascensum fecisset, Augusti funera simul atque ipse ordinavisset, quæ propterea, nonnullis senatoribus nixa, imperii particeps esse contendebat, et a familiari sua Urgulania leges violari sinebat, Tiberius propositi tenacem et prudentem se præstitit, unde Cæsar « majore fama fuit » [3]. Eodem anno, Tiberi flumine exundante, cum Asinius Gallus, homo cavendus, censeret ut libri Sibyllini adirentur, renuit Tiberius. Princeps enim, cum libenter sineret senatum, simul atque ipsum utpote maximum pontificem, jus in religionem exercere, nolebat tamen libros Sibyllinos a senatoribus inspici qui ex iis sinistra quælibet prædicta depromerent. Quorum librorum ne pravus fieret usus Augustus jam curaverat [4]. Tiberio tamen placuit senatum vias inquirere moderandarum Tiberis exundationum, atque municipiorum et coloniarum legationes in senatu audiri, qualis mos erat cum de rebus ad Italiam pertinentibus agebatur, senatusconsulto etiam institui quinque curatores riparum et alvei Tiberis, quos inter patres

1. *C. I. L. Fasti Prænestini*, I, 34.
2. Tacitus, *Annales*, I, 72.
3. Tacitus, *Annales*, I, 8, 72; II, 34; Dio Cassius, LVI, 47; LVII, 12; Suetonius, *Tiberius*, 50.
4. Suetonius, *Octavianus*, 31.

sortiretur senatus [1]. E senatoribus quoque Tiberius tres publicarum tabularum curatores delegit [2].

Etsi ipse sumptui pepercit, tamen census quorumdam senatorum juvit, quo eis in senatu manere licuit. Eos autem juvabat quod paupertatem non meruerant [3]. Tentantes eadem alios, probare senatui causam jussit. Quod Taciti indignationem movet : unde apparet senatum senatores a Tiberio alendos esse censuisse [4]. De quibus acrior etiam inter Tiberium et curiam disputatio orta est. Nempe cum Hortalus, oratoris Hortensii nepos, a Tiberio stipendia in senatu postularet, utpote genti debita, quamvis jam subsidium aliquod ab Augusto accepisset, Tiberius indignatus quod in curia de privata cujuslibet utilitate non de rebus publicis disputaretur, sic locutus est « non preces sunt istud, sed efflagitatio,.... cum aliis de rebus convenirent patres, consurgere..... ac velut perfringere ærarium, quod, si ambitione exhauserimus, per scelera supplendum erit..... Languescet alioqui industria, intendetur socordia, si nullus ex se metus aut spes; et securi omnes aliena subsidia exspectabunt, sibi ignavi, nobis graves ». Hæc autem atque talia, plures per silentium aut occultum murmur excepere [5]. Tiberius itaque, suo etiam in rem publicam studio, senatorum qui propriam tantum utilitatem curabant odium in se concitabat.

Ipsius vero senatus dignitati consulens, mores veteris reipublicæ et Augusti parentis exemplum secutus, princeps, utpote omnium gentium tanquam paterfamilias, luxuriam et intemperantiam senatorum cohibere conatus est; non quidem aperte, sed ipsius senatus auxilio quem non aliter atque libera republica pro morum custode habebat. Turbato enim ab histrionibus theatro, actum de seditione apud patres. Cum de ea re Asinius Gallus ita censeret ut senten-

1. Tacitus, *Annales,* I, 76 ; I, 79; Dio Cassius, LVII, 14; *C. I. L.*, VI, 1235, 1237 ; Mommsen, *Droit public romain,* t. VII, p. 450.
2. Dio Cassius, LVII, 16.
3. Tacitus, *Annales,* II, 37 ; Dio Cassius, LVII, 10.
4. Tacitus, *Annales,* I, 75.
5. Tacitus, *Annales,* II, 37, 38.

tiam ejus Tiberius in malam partem acciperet, tanquam Augusti consiliis adversam, non obstitit Cæsar quin illa apud senatores prævaleret, sed intercessit Haterius Agrippa tribunus plebis increpuitque Asinii Galli orationem, silente Tiberio qui ea simulacra libertatis senatui præbebat [1].

Senatui quoque provincias, quas ei Augustus administrandas mandaverat, et ipse a patribus expressis verbis accipi voluerat, Tiberius reliquit. Unam quidem ex eis, Cretam, sibi attribuit; exspectavit tamen donec ea proconsule vacaret. « Achaïam ac Macedoniam, onera deprecantes, levari in præsens proconsulari imperio tradique Cæsari placuit [2] »; quod sane patres ægre tulerunt; verum in præsens tantum, et senatus permissu, illæ provinciæ principi tradebantur. Tiberius etiam quibusdam provincias mandabat quos egredi Urbe non erat passurus, non solum quod eis diffidebat, sed ut eorum ambitioni satisfaceret [3].

Tiberius denique, cum jam in milites senatui jus esse professus sit, ad curiam quoque Cæsaris legatos gesta relaturos esse censuit, et ipse retulit de factis Germanici in Germania, et corripuit consulares exercitibus præpositos quod non de rebus gestis senatui scriberent [4].

IV

Tiberius igitur rem Romanam pro magna parte administrandam senatui relinquere tentabat, neque ejus odium animadvertere videbatur. Quo tamen invitus irritabatur. quamvis æquo animo ferre decrevisset. Etenim hoc eodem tempore, anno XV, mense Septembri, majestatis actionem restituit.

1. Tacitus, *Annales*, I, 77; II, 33. Cf. Augustum apud Mommsen, *Res gestæ divi Augusti*, II, 12-14.

2. Dio Cassius, LVII, 14; Tacitus, *Annales*, I, 76.

3. Tacitus, *Annales*, I, 80.

4. Tacitus, *Annales*, I, 52; Suetonius, *Tiberius*, 32; Mommsen, *Droit public romain*, t. VII, p. 318.

Jam reipublicæ tempore, quisquis de dignitate, aut amplitudine, aut potestate eorum quibus populus potestatem dederat, aliquid derogaverat, morte mulctatus est. Proinde Cæsari, cui senatus populusque romanus summum imperium contulerant, jus erat eos morte mulctandi qui ipsius auctoritatem violarent. Augusto principe, Tiberius jam Fannium Cæpionem, qui cum Varrone Murena in Augustum conspiraverat, reum majestatis apud judices fecerat et condemnaverat [1]. Senatus ipse, ineunte Tiberio principatum, cognitionem de ejusmodi criminibus ac reis flagitabat, ita ut Pompeio Macroni prætori roganti an judicia majestatis redderentur, Tiberius merito responderit « exer« cendas esse leges [2] ».

Ita Tiberius injuste incriminantibus obsistebat. Quem, si Tacito fidem habuerimus, asperavere carmina, incertis auctoribus, vulgata in ejus sævitiam superbiamque et discordem cum matre animum [3], quamvis adversus neminem sævum aut superbum se adhuc præstiterit. Primum eos tantum mulctari voluit qui Augustum deum offendebant, cujus memoriam integram servare, quippe qui principatum instituisset, magni referebat [4]. Quin, cum res quæ de majestate agebantur neque quæstionibus perpetuis, neque principis tribunali, sed senatui soli tractandas traderet, et consules hujusmodi judiciis præesse vellet qui senatui jam præesse solebant, senatus et summi senatorii magistratus in judiciis jus augebat.

Quod cum faceret, lubricam viam ingrediebatur, quod ipse, senatu rogante ut quædam hujusmodi quæstio exerceretur, his verbis confessus est « Si hanc fenestram aperueritis, « nihil aliud agi sinetis ; omnium inimicitiæ hoc prætextu « ad nos deferentur [5] ». Nempe irritabilis et animo turbidus, omnibus quæ adversus se aut vulgabantur aut age-

1. Suetonius, *Tiberius*, 8.
2. Tacitus, *Annales*, I, 72.
3. Tacitus, *Annales*, I, 72 ; cf. ibid., I, 76 ; Suetonius, *Tiberius*, 28 ; Schiller, *op. cit.*, t. I, p. 291 ; Madvig, t. II, p. 262.
4. Tacitus, *Annales*, I, 73 ; Plinius junior, *Panegyricus*, 11.
5. Suetonius, *Tiberius*, 28.

bantur offensus, plures in diem majestatis accusavit, neque eos tantum qui Augustum sed qui ipsum offenderant. Primæ quidem majestatis actioni, cum reorum salutis gratia intervenit, tum maximam senatui reverentiam præstitit, quippe qui consulibus, utpote senatus præsidibus, scriberet[1]. Sed aliter, cum secunda actio decreta est, exarsit adeo ut, rupta taciturnitate, proclamaret se quoque in ea causa laturum sententiam palam et juratum : ejus autem sententia majoris momenti erat, quo ceteris eadem necessitas fieret, Tum Cn. Piso « Quo, inquit, loco censebis, Cæsar? Si primus, habebo quod sequar; si post omnes, vereor ne imprudens dissentiam ». Permotus his, quantoque incautius efferverat, pænitentia patiens, tulit absolvi reum criminibus majestatis [2]. Attamen, quam gravia hæc verba essent minime intellexit, et magis ac magis actionibus majestatis intervenit. Quo senatorum iram maxime concitavit. Præterea, cum ii qui crimen majestatis alicui deferebant principi gratissimi essent, senatores huc provecti sunt ut se invicem arguerent, et, tandem, non modo numero sed dignitate deminuti, illi potestati exercendæ jam impares evaderent quam eis princeps concesserat. Hoc dyarchiæ maxime nocuit quod crimina majestatis plura in diem deferre solitum est.

V

Non autem miraberis Tiberium sui jam non compotem fuisse, si ea memineris quæ secundo principatus anno acciderunt, falsi scilicet Agrippæ et Libonis conjurationes.

Cum servus Agrippæ quidam se Agrippam esse contendit, ejus partes non modo turbidi homines et nova cupientes tenuerunt, sed etiam multi e domo principis, equitesque ac senatores eum sustentasse opibus, juvisse consiliis dicti sunt. Quem dolose a Sallustio Crispo captum, percunctanti

1. Tacitus, *Annales*, I, 73; I, 75; II, 50.
2. Tacitus, *Annales*, I, 74.

Tiberio quomodo Agrippa factus esset, respondisse fertur « quo modo tu Cæsar ». Tiberius eum, palam non ausus, in secreta palatii parte interfici jussit, corpusque clam auferri. Éjus vero permulti socii non quæsiti sunt [1].

Drusus Libo, quem omnium ejus temporis optimatum tanquam exemplar fuisse credideris, luxuria et fœnore pauper factus, viam quamdam meditatus qua se periculo liberaret, ad magos confugit et conjurationem adversus principem habuit. Tiberius, ne quid in novitate acerbius fieret, secundo demum anno Libonem in curia coarguit. Hanc quo que causam Senatus, ut ceteras majestatis actiones, suscepit, quippe cum Tiberius eam præsidibus consulibus judicandam mandaverit. Dum quatuor accusatores certabant cui jus perorandi in reum daretur, patres omnes a Libone discedebant. Tiberius, immoto vultu, ita moderans ne lenire neve asperare crimina videretur, non potuit tamen quominus accusatorum causam oblique defenderet. Liboni autem extremas preces ad Cæsarem mandanti, responsum est ut senatum rogaret. Idem cum se ipsum occidit, juravit Tiberius petiturum se vitam quamvis nocenti [2]. Tiberium nihilominus senatori mortis auctorem fuisse senatores censuerunt. et se propterea Tiberii omnipotentiæ obnoxios esse, cum ipsi specie tantum, re autem ille judex esset. Tiberio contra jam compertum fuit, inter senatores timidos et serviles ipsorum senatorum delatores inveniri posse : quo concitatus est ut se crudelem adversus senatores præstaret.

Libonis sorte territi, patres Tiberio maxime adulati sunt [3]. Neque tamen ei obstare destiterunt. Etenim, condamnato Libone, Tiberius et Drusus rogaverunt mathematicos magosque morte mulctandos esse, romanosque cives qui iis uterentur expellendos. Omnes autem pæne optimates ad magos confugiebant, itaque Cn. Piso in eo fuit ut

1. Dio Cassius, LVII, 16; Tacitus, *Annales*, II, 39, 40; Stahr, *Tiberius Leben*, pp. 83-85.

2. Tacitus, *Annales*, II, 27, 28, 29, 30, 31, 32; Suetonius, *Tiberius*, 25; Dio Cassius LVII, 15; Duruy, *Histoire romaine*, t. III, p. 432.

3. Tacitus : *Annales*, II, 32; Mommsen : *Droit public romain*, t. III, p. 140.

veniam civibus romanis postulatam obtineret. Tum quoque Tiberius cavit ne tribunicia potestate uteretur, et sententiæ Pisonis tribunum quemdam intercedere voluit [1].

VI

Post Libonis mortem, sub fine anni XVI, in senatu quoque disputatio orta est, quæ haud minus gravis fuit atque illa quæ ad imperii consortionem pertinuerat, et Tiberio periculosissima.

Nempe de duabus rebus tum actum est, quarum hæc prior fuit : « Piso, quanquam afuturum se dixerat Cæsar, ob id magis agendas censebat, ut absente principe senatum et equites posse sua munia sustinere decorum reipublicæ foret. Gallus, quia speciem libertatis Piso præceperat, nihil satis illustre aut ex dignitate populi Romani nisi coram et sub oculis Cæsaris, eoque conventum Italiæ et adfluentes provincias præsentiæ ejus servanda dicebat. Audiente hæc Tiberio ac silente, magnis utrimque contentionibus acta, sed res dilatæ [2]. »

De hoc igitur primum actum est an senatus, absente Tiberio, sua munia sustinere possit. Quæ autem sint hæc munia ambigitur. De judiciis in curia disputatum esse credideris, cum an ab equitibus quoque res proferendæ essent deliberatum fuerit. Contendi tamen potest de rebus publicis actum fuisse, cum Tacitus paulo obscurius locutus sit neque ipsa Pisonis verba retulerit, cum præterea de rebus ad Italiam et provincias pertinentibus disceptatum fuerit [3].

Augustus quidem, cum senesceret, senatui licentiam deliberandi dederat dum ipse abesset [4]. Res autem gravior ob ea quæ Piso et Gallus disseruerunt visa est. Tunc enim quæstio mota est an inutilis aut necessarius in republica

1. Tacitus : *Annales*, II, 32; Dio Cassius LVII, 15 : « Ἔνθα δὴ καὶ μάλιστα ἄν τις τὸ τῆς δημοκρατίας σχῆμα κατενόησεν. »
2. Tacitus, *Annales*, II, 35.
3. Duruy, *Histoire romaine*, t. III, p. 431.
4. Dio Cassius, LV, 34.

princeps esset. Haec nempe Pisonis sententia fuit : cum simul atque princeps, primus in republica magistratus, senatus res gerat, amborum autem jura inter se pugnantia sibi invicem finem imponant, ea tantum conditione dyarchiam vigere ut amborum jura simul ab utroque exerceantur; quod si alter supersit, eum solum in imperio esse : absente igitur Tiberio, senatum omnibus juribus potiri et « magis » sua munia sustinere, quod denique cum liberæ reipublicæ ratione convenit. Illa quidem Pisonis sententia cum ea doctrina congruit quam de senatus et principis in imperio regendo societate Tiberius professus est. Unde merito concluseris cum senatus, absente principe, omnia possit, principi nullum in republica jam esse locum. Qua ratione, non dyarchia sed revera senatus monarchia instituta esset. Vix igitur princeps partem imperii senatui concessit, tum nonnulli senatorum summam imperii ab eo aperte postulant. Animadvertendum tamen propositi Cn. Pisonem auctorem fuisse, senatorum ferocissimum et audentissimum.

Tantum licentiæ quantum Cn. Piso sumpsit Asinius Gallus, prudentius quidem, cum contraria Pisoni dicere visus sit : senatum illustriorem fore, et pro dignitate Romanæ civitatis se gesturum, si coram et sub oculis Cæsaris deliberaret, cum Cæsar, primus inter cives, majorem senatui splendorem præsentia sua afferret; revera nihilominus Asinius Gallus contendit Cæsarem modo primum esse civium, ita ut nulla ejus sit propria potestas, ceteris quidem civibus illustriorem quo præsente gloriarentur. Gallus itaque, sicut Piso, dyarchiam inutilem esse dicit, reipublicæ tantummodo decoram.

Alios in Pisonis, alios in Galli sententiam ivisse senatores existimaveris, hoc est aut dyarchiam radicitus everti aut specie tantum servari voluisse, omnes autem in hoc consentire quod principis potestatem nihil profuturam esse arbitrantur. Hæc quidem Tiberii verba de se ad senatores « quem vos tanta et tam libera potestate instruxistis », ad litteram vera esse senatus sibi animo finxit. Cujus loquendi intemperantia, præsente ipso Tiberio, profecto mirabilis fuit.

Attamen nihil aliud quam verba ausi sunt patres, quippe qui statuerent res, absente Cæsare, prolatum iri.

Cum, silente Tiberio, eorum audacia cresceret, novum certamen Gallo adversus Cæsarem exortum est. « Nam censuit in quinquennium magistratuum comitia habenda, utque legionum legati, qui ante præturam ea militia fungebantur, jam tum prætores destinarentur, princeps duodecim candidatos in annos singulos nominaret [1]. » Quo, senatui in locum populi ad eligendos magistratus jam substituto, major potestas concedebatur quam ulla comitiis unquam. Qua ratione magistratibus jam nominatis et mox imperium exercituris sui juris esse antequam munia gererent concederetur, ita ut, Tiberii detrimento, ad eligendos magistratus senatus maxima auctoritate valeret. Senatus igitur quo majorem potestatem a Tiberio accipiebat, eo magis potestatis cupiditate crescebat, senatu postremis reipublicæ sæculis vigente etiam audacior cum nullam legum rationem haberet, quod Tiberius merito in ipsa curia animadvertit. Ipse quidem Tacitus ait : « eam sententiam altius penetrare, et arcana imperii tentari [2]... ». Tiberius autem, quam Piso et Gallus mentem habuissent minime suspicari visus, quasi augeretur potestas ejus disseruit : « grave moderationi suæ tot eligere, tot differre. Vix per singulos annos offensiones vitari, quamvis repulsam propinqua spes soletur : quantum odii fore ab iis qui ultra quinquennium projiciantur! Unde prospici posse quæ cuique tam longo temporis spatio mens, domus, fortuna? Superbire homines etiam annua designatione : quid si honorem per quinquennium agitent? Quinquiplicari prorsus magistratus, subverti leges, quæ sua spatia exercendæ candidatorum industriæ quærendisque aut potiundis honoribus statuerint. » Sic prudenter locutus, favorabili in speciem oratione vim imperii tenuit [3].

Interea principis potestas validior in diem evadebat. Sci-

1. Tacitus, *Annales*, II, 36.
2. Tacitus, *Annales*, II, 36. Cf. Asinium Gallum, ibid., I, 12; I, 76.
3. Tacitus, *Annales*, II, 36, 37.

licet, uno post legionum seditionem anno, Tiberius omnia quæ militibus concesserat in posterum abolevit, id autem milites æquo animo tulerunt [1]. Sub fine anni XV, animo magis confirmato Cæsar imperium exercere incepit : quapropter haud dubio eam sententiam profert Dio Cassius « τήν τε ἀρχὴν οὐδὲν ἔτι εἰρωνευόμενος ὑπεδέξατο [2] ». Quibus certo non significatur Tiberium tum demum expressis verbis imperium accepisse, cum illud anno XIV accepisset.

Tiberii autem animus, jam ad suspiciones pronus, non mutatus est. Sequenti tempore, præterquam in propinqua oppida, et cum longissime, Antio tenus, nusquam abfuit : idque perraro et paucos dies [3]. Anno enim XVI, sub hieme, Germanicus a Germania avocatus est [4].

Germanico revertenti prætorianæ cohortes universæ prodierunt obviam, quamvis pronunciatum esset ut duæ tantummodo exirent [5] ; haud aliter tum cives, tum optimates. Quod Tiberio suspicionem non movit cum magnificum triumphum a Germanico celebrari sineret. Nomine Germanici trecenos plebi sestertios viritim dedit, seque collegam consulatui ejus destinavit.

Deinde, decreto patrum, permissæ Germanico provinciæ quæ mari dividuntur, majusque imperium quoquo adisset quam his qui sorte aut missu principis obtinerent [6]. Sic Tiberius simul Germanico honores tribuebat, et senatui jus magistratus extraordinarios eligendi. Tacitus quidem dixit Tiberium voluisse Germanicum novis provinciis impositum dolo simul et casibus objectare : idem tamen narrat non multo post Drusum in Illyricum missum fuisse, his etiam additis « Tiberius se tutiorem rebatur, utroque filio « legiones obtinente », unde patet Tacitum secum pugnavisse [7]. Vere autem dixeris Tiberium in animo habuisse ut

1. Tacitus, *Annales*, I, 78; Dio Cassius, LVII, 7; Suetonius, *Tiberius*, 38.
2. Dio Cassius, LVII, 7.
3. Suetonius, *Tiberius*, 38.
4. Tacitus, *Annales*, II, 26.
5. Suetonius, *Caligula*, 4.
6. Tacitus, *Annales*, II, 41, 42, 43 ; 52, 53.
7. Ibid., II, 5; II, 44 ; Stahr, p. 100; Abraham, *Tiberius und Sejan* pp. 9-10.

Julios eodem loco quo Claudios haberet. Etiamsi Tiberius Germanicum procul ab optimatum jurgiis et a periculosa senatorum amicitia abducere voluisset, sicut ipsum Augustus a Roma avocaverat ne certamen inter eum et C. et L. Cæsarem oriretur [1], profecto prudenter se gessisset. Ceterum Germanicus propter hoc tantum senatui gratus erat quod Tiberio opponi posset. Etenim, antequam in Asiam proficisceretur, consentiente Druso, Germanicus Haterio Agrippæ propinquo præturam petivit; contra plerique nisi sunt ut numerus liberorum in candidatis præpolleret, quod lex jubebat. « Victa est sine dubio lex, sed neque statim et paucis suffragiis. Lætabatur Tiberius cum inter filios ejus et leges senatus disceptaret [2]. »

Interea tamen Tiberius tum majorem in diem senatui reverentiam præstabat, tum ejus potestatem augebat. Duodecim urbes Asiæ collapsæ nocturno motu terræ, mitti ex senatu placuit qui præsentia spectaret foveretque. Delectus est M. Aletius ex prætoriis, ne, consulari obtinente Asiam, æmulatio inter pares et ex eo impedimentum oriretur [3]. In curia rex Archelaüs Cappadociæ et rex Thraciæ quidam accusati sunt, necnon apud patres disseruit Cæsar de iis quæ Armenia et Cappadocia agebantur [4]. Imperante Augusto, jam de principibus, Romæ clientibus, senatus cognoverat; tum primum res externas simul cum principe regendas a Tiberio accepit, quod jus, vetere republica, communiter cum magistratibus et pro magistratu agentibus exercitum, sub Augusti principatu pæne totum amiserat [5]. Denique Tiberio quod frumenti leniisset inopiam cum a populo vocabulum « parentis patriæ » rursus oblatum esset, non tamen assumpsit [6].

1. Abraham, *Tiberius und Sejan*, p. 10.
2. Tacitus, *Annales*, II, 51.
3. Tacitus, *Annales*, II, 47; Dio Cassius, LVII, 17.
4. Dio Cassius, LVII, 17; Tacitus, *Annales*, II, 42; II, 67.
5. Mommsen, *Droit public romain*, t. VII, p. 365; Willems, *Le sénat de la république romaine*, t. II, p. 616.
6. Tacitus, *Annales*, II, 87.

VII

Anno autem XVIII, ortum est certamen inter Germanicum et Cn. Pisonem, in Syria pro Cæsare legatum, superbe in senatu ut antea diximus loqui solitum, cujus Plancina uxor Liviæ familiaris erat [1]. Anno XIX, mortuo in Asia Germanico, Romam optimates existimaverunt Pisonem adversus Germanicum missum esse quem veneno, suadentibus Tiberio et Livia, occideret [2]. Forsan quidem Tiberius Pisoni mandavisset ut Germanici gesta specularetur, nec dubitari potest quin Plancina a Livia, quæ Julios maxime oderat, concitata fuerit. Sed non est quod credas a Tiberio, qui dyarchiam et Cæsareæ familiæ dignitatem servari studebat, Pisonem principis legatum cujus imperium inter Syriæ fines cogebatur, jussum esse ne Germanico pareret, nempe uni ex gente principis qui a senatu imperium, imo imperium majus obtinuerat. Nec fieri potuerit ut Tiberius Cn. Pisonis jam expertæ superbiæ tali jussu faverit. Non miraberis quod in Germanicum Piso contumacia elatus est si memineris quam promptus ferocibus ipse, quam dilecta Plancina Liviæ fuerit.

Germanici tamen morbo et morte nuntiatis, sicut antea legionum seditione inter senatores tristitia et invidia simul concitatæ sunt. Vulgatum est Germanicum occisum esse, sicut patrem, quia populum Romanum æquo jure complecti reddita libertate agitavissent. « Miles, magistratus, populus « concidisse rempublicam, nihil spei reliquum clamita- « bant..... studia hominum accensa in Agrippinam, cum « decus patriæ, solum Augusti sanguinem, unicum anti- « quitatis specimen appellarent [3] ». Tiberius autem, eum incautus senatui nuntiaret gemellos Druso natos esse,

1. Tacitus, *Annales*, I, 79; II, 43, 55, 78.
2. Ibid., II, 57, 82; III, 2; Dio Cassius, LVII, 18. Vide Duruy, *Histoire romaine*, t. III, p. 442; Stahr, p. 104 note 7a, 105, 107, 115, 121-122.
3. Tacitus, *Annales*, III, 4; II, 83.

senatus tristitiam illis nuntiis animadvertit augeri [1]. Quod cum ægre ferret, hoc quoque ei molestum sane fuit Agrippinæ et Germanici nimiam laudationem audire, cum se primum et optimum civium esse contenderet, et in hereditatem Augusti succedere et majorum virtutes restituere velle [2]. Hoc etiam indignatus est non de re publica quam ipse omnibus anteponeret, sed de hujus aut illius meritis in senatu agi [3]. Nec eum denique latuit vulgatum esse se Germanico venenum paravisse. Monuit edicto multos illustrium Romanorum ob rempublicam obisse, neminem tam flagranti desiderio celebratum; non enim eadem decora principibus viris et imperatori populo quo modicis domibus aut civitatibus. Principes mortales, rem publicam æternam esse [4].

Piso in Asia moratus, de provincia cum Germanici legatis armis certare tentavit et Germanici legiones sibi conciliare, ita ut iterum manifestum fieret maximum periculum esse si legiones senatorii ordinis ducibus parerent, qui ambitionis suæ causa ea vi militari uterentur qua niti Tiberium acerrime incusabant. Expertus autem apud milites penitus infixum in Cæsares amorem prævalere [5], Piso Romam reversus est. Ea tamen res agitata est rumoribus ut in agmine atque itinere crebro se militibus ostentavisset [6]. Romæ igitur, quasi princeps factionis, tum Tiberio tum senatoribus Juliorum fautoribus metuendus, evadebat, ita ut de eo, vel Germanici morte insonte, quærendum esset.

De Pisone dubitari poterat cujus judicii esset utrum quæstionum perpetuarum, an senatus, anne principis. Non potueris qualia fuerint in Pisonem crimina inspiciendo rem solvere, quia varia in eum crimina intendebantur. A Germanico quidem, cum moriens dixerit amicis locum querendi apud senatum fore, patet sicut a Tiberio sena-

1. Tacitus, *Annales,* II, 84.
2. Ibid., III, 4.
3. Ibid., III, 6.
4. Ibid.
5. Tacitus, *Annales*, II, 55, 76-81.
6. Tacitus, *Annales,* III, 9.

tum tanquam vices populi Romani gerentem habitum esse [1]. Ejus qui primus Pisonem reum fecit eadem sententia fuit, cum Pisonem apud consules postularet [2]. Nam consules senatui præerant. Piso, cum ei Germanici legati in Asia accusationem minarentur, responderat eludens « adfu-« turum ubi prætor qui de veneficiis quæreret reo atque « accusatoribus diem prædixisset [3] ». Petitum est autem a principe cognitionem exciperet, quod ne reus quidem abnuebat [4]. Inde intelligi potest cujus judicii, utrum patrum an quæstionarum anne principis capitales causæ essent incertum fuisse. Cum Tiberius actiones majestatis senatui mandando patrum auctoritatem in judiciis auxisset, quæri poterat an in curia quoque de Pisone ageretur.

Primo quidem, paucis familiarium adhibitis, hoc est in principis concilio, minas accusantium et Pisonis preces audit Tiberius. Integram vero causam ad senatum remittit [5]. Quod fecisse principem Tacitus propterea dicit quod « haud fallebat eum moles cognitionis quaque ipse fama distraheretur » [6]. Quanquam enim Tacitus ait Pisonem exoptavisse ut a principe judicaretur, utpote studia populi et patrum metuentem [7] atque Tiberium spernendis rumoribus validum existimantem, ego potius dixerim principem, ne nimii pro Pisone studii incusaretur, patribus invitum causam mandavisse, quorum invidiæ obsistere ipse judicando voluisset. Senatui autem quæstiones perpetuas opponi posse Tiberius profitetur [8], omisso principis tribunali, ut senatus auctoritati, more suo, ipse cedere videatur.

Tiberius vero non a quæstionibus perpetuis sed a senatu

1. Tacitus, *Annales*, II, 71. Cf. Augustum senatui Germanicum commendantem (Dio Cassius, LVI, 26).

2. Tacitus, *Annales*, III, 10.

3. Ibid., II, 79.

4. Ibid., III, 10. Cf. Madvig, *op. cit.*, t. II, pp. 297-298; Mispoulet, *op. cit.*, t. I, p. 276; t. II, p. 496; Mommsen, *Droit public romain*, t. IV, p. 249.

5. Tacitus, *Annales*, III, 10.

6. Ibid.

7. Ibid.

8. Vide infra Tiberium ad senatum : « Id solum Germanico super leges præstiterimus, quod in curia potius quam *in foro*, apud senatum quam *apud judices* de morte ejus anquiritur » (Tacitus, *Annales*, III, 12).

dicit rem esse judicandam. Illud eum facere credimus ideo tantum quod de Germanico agitur : « Id solum, inquit, Germanico super leges præstiterimus, quod in curia potius quam in foro, apud senatum quam apud judices de morte ejus anquiritur. » Hoc autem utrum decreverit quod Germanicus ex principis domo esset, an quod Germanicus moriens ad senatum confugere voluerit, ambigitur. Saltem manifestum est, Tiberii sententia, quæstionibus perpetuis de hujusmodi causis judicandum esse, ita ut de actione in Pisonem intenta jure apud eas agendum esset. Unde patet earum, quæ ad senatores et principis familiam pertinent, senatum nondum cognitionem jure exercere.

E Tiberii verbis apparet principem sane timuisse ne, procedente judicio, rumores de morte Germanici qui in eum ipsum manabant consilio senatus vulgarentur. Patrum quoque studium in Pisonem, quod jam dictum est, Tiberius suspicabatur. Hoc autem præcipue cavit Cæsar ne subito quæstionibus perpetuis sua munia arriperet, neve, senatorum jus judicandi augendo, reipublicæ veteris instituta funditus evertere videretur. Sic iterum constabat Tiberium dyarchiæ vere fautorem esse, ita quidem ut summo imperio quod populus libera republica habebat quam minime obsisteret.

Pisonis igitur causam ad patres deferri, criminis in eum intenti nulla ratione habita, Tiberius voluit. Sed ambigi quoque poterat a quo de pœna statueretur, qualis præterea pœna futura esset. De quibus a Tiberio etiam decretum est, unde intellexeris dyarchiam non publice quoddam institutum, sed tantum agendi rationem habendam esse quæ ex arbitrio principis tota penderet.

Hæc enim Tiberii sententia fuit : in Pisonem, si « facinus » commiserit, « in cujuscunque mortalium pœna vindicandum » esse et a senatu mulctandum [1]. Tiberius igitur senatui concessit jus eos mulctandi qui scelus in privatos committerent, etiamsi senatores essent. Ea quoque de reo locutus est princeps. « Si legatus officii terminos, obsequium erga imperatorem exuit, ejusdemque morte et luctu meo lætatus est,

1. Tacitus, *Annales*, III, 12.

odero seponamque a domo mea, et privatas inimicitias non vi principis ulciscar [1]. » Quibus verbis Tiberius significat principis legatum, si in imperio exercendo immodestum, et adversus eum qui dignitate antecesserit rebellem sese præstiterit, si præterea Germanicum mortuum et Tiberium qui Germanicum adoptavisset probris vexaverit, ab ipso Tiberio mulctandum esse, eadem autem pœna propter prius quam propter alterum scelus afficiendum : ex quo intelligi potest utrumque pro injuria in privatos haberi.

Ergo Tiberius tum ministros principis judicandi jus senatui concessit, tum autem pœnam exigendi jus principi servavit. Ministri etiam adversus principem rebellionem tanquam privatam in ipsum injuriam habuit Tiberius. Haud aliter dominus servum, clientem patronus, uxorem aut filium paterfamilias ipse pœna afficit : ita ut Tiberium existimaveris censuisse principis ministros, hoc est principis civium, non reipublicæ sed suæ domus fuisse. Sic, Tiberius morem majorum servari voluisse videtur, et ministros suos magistratibus cedere, utpote principis tantum domesticos quos ipse ut unus inter cives tractaret. Fatendum tamen Tiberium, cum postea de Cæsaris quodam procuratore ageretur quem senatus quoque judicaret, pœnam exigendam senatui mandavisse.

Non immerito Tiberius studium senatus adversus Pisonem metuebat, nam judices per diversa implacabiles, simul populi ante curiam voces audiebantur non temperaturos manibus si patrum sententias evasisset. Tiberius contra sine miseratione, sine ira, obstinatus claususque ne quo affectu perrumperetur. Piso se ipsum occidit [2]. Suadente Livia, veniam Plancinæ Tiberius a senatu impetravit. Accusatores vero mercedem acceperunt [3]. Qui ab Agrippina stabant, et ipsa Agrippina cui Germanicus moriens frustra mandaverat ut « exueret ferociam, sævienti fortunæ submitteret animum, neu regressa in Urbem æmulatione

1. Tacitus, *Annales*, III, 12.
2. Tacitus, *Annales*, III, 8, 14, 15; Stahr, *op. cit.*, pp. 137, 138.
3. Tacitus, *Annales*, III, 17, 18, 19.

potentiæ validiores irritaret [1] », iniquo animo tulerunt principem Pisoni non æque ac senatum infensum, et Plancinæ saluti fuisse. Imo, nonnulli senatores existimaverunt a Tiberio Pisonem occisum fuisse ne gravia de Cæsare detegeret. Quæ Tiberius fore suspicabatur cum, nuntiata morte Pisonis, dixisset « suam invidiam tali morte quæsitam apud senatum [2] ».

Hoc insuper judicio Tiberius certior factus est se in judicando magis æquum præstiturum esse quam senatum. Piso ipse sua sponte postulaverat ut ab ipso Tiberio judicaretur, cum existimaret vera aut in deterius credita judice ab uno facilius discerni, odium et invidiam apud multos prævalere. Proinde senatus invidia in Tiberium, Tiberii erga senatum fastidium crevit, ita ut minus dyarchiæ studiosus princeps fuerit.

Quod ex veterum historicorum testimonio intelligi potest, cum dixerint Germanici post mortem Tiberii agendi rationem mutatam esse [3]. Asserere quidem falsum esset Tiberium Germanico mortuo tyrannum evasisse, cum similiter postea principis agendi rationem omnino mutatam esse ab iisdem historicis narratum sit. Sed Tiberius his contumeliis quarum mors Germanici occasio fuit a senatu magis ac magis alienatus est. Nec tamen propterea senatum tanquam inimicum habuit. Etenim, consilio quidem non jam studio etiam tum dyarchiæ rationi se accommodavit; sed in eo consilio perseverare minus in diem valuit.

VIII

Anno post mortem Germanici, Tiberius Neronem majorem natu e Germanici filiis commendavit patribus, utque munere capessendi vigintiviratus solveretur et quinquennio maturius quam per leges quæsturam peteret, postulavit. Ut quondam

1. Tacitus, *Annales*, II, 72.
2. Ibid., III, 11; III, 16.
3. Dio Cassius, LVII, 13, 19; Suetonius, *Caligula*, 6; Schiller, *op. cit.*, t. I, pp. 290-291.

Augustus Germanicum tanquam successorem Tiberii indicaverat, ita Tiberius Neronem Druso [1]. Quod ut manifestum fieret, neptem Juliam in matrimonium Neroni collocavit [2]. Forsan quis crediderit illam in senatu de Nerone relationem a Juliorum fautoribus bono animo acceptam fuisse, præsertim cum ea relatione jus solvendi legibus jam senatui ab Augusto concessum confirmari videretur [3]. Quam tamen senatus irrisit, quippe qui, si in Tiberii sententiam iret, gentem principis civium supra omnes gentes stare declararet [4]. Et arbitrati sunt patres ludibrii causa Tiberium a senatu aliquid postulare quod senatus negare non posset. Patres quidem, ut solebat, pariter infensos et serviles se præstiterunt : additur pontificatus, et, quo primum die forum ingressus est Nero, congiarium plebi [5].

Haud aliter Tiberius, cum de nobili quadam muliere, Lepida, causa ageretur, deprecatus est senatum ne majestatis crimina tractarentur, et exemit Drusum, consulem designatum, dicendæ primo loco sententiæ « quod alii « civile rebantur, ne ceteris assentiendi necessitas fieret [6] ».

Tiberius etiam quinque consularium, quinque e prætoriis, totidem e cetero senatu sorte duxit, apud quos exsoluti plerique legis Papiæ Poppeæ nexus modicum in præsens levamentum fuere. Quam legem, etsi ab Augusto quem Tiberius in omnibus sequebatur maxime probatam, Tiberius tamen mutare voluit, cum omnis optimatum domus delatorum interpretationibus subverteretur [7]. Tiberius denique, ne consulatum contemnere videretur, quartum consulatum simul cum filio Druso collega, anno XXI, gessit [8].

1. Tacitus, *Annales*, III, 29. Cf. Augustum apud Dionem, LVI, 26, 28.
2. Tacitus, *Annales*, III, 29.
3. Cf. Mommsen, *Droit public romain*, t. VII, p. 461 ; Willems, *Le sénat de la République romaine*, t. II, pp. 116, 119; Herzog, t. II, p. 889.
4. Tacitus, *Annales*, III, 29.
5. Ibid., III, 29.
6. Ibid., III, 22.
7. Ibid., III, 25, 28. De lege Pappia Poppæa vide : Bouché-Leclercq, *Les lois démographiques d'Auguste* (*Revue historique*. t. LVII, pp. 240-277).
8. Tacitus, *Annales*, III, 31 ; Mommsen, *Droit public romain*, t. V, p. 407, note 1.

IX

« Ejus anni principio, Tiberius, quasi firmandæ valetu-
« dini, in Campaniam concessit, longam et continuam
« absentiam paulatim meditans [1]. »

In breve tempus quidem tum Roma discessit. Forsan, ut ipse dicebat, valetudine infirma laboraret. Sed animadvertendum, cum antea in curia de societate cum senatu in imperio regendo actum esset, Tiberium jam nuntiavisse sibi in animo esse ut quam proxime imperium deponeret, quapropter vix cum principatum iniisset Drusum et Germanicum tanquam successores suos indicaverat, modo Neronem pro Germanico mortuo, et Drusum ipsum, qui nunc amoto patre munia consulatus solus impleret. Fortasse Liviam crebro increpantem fugere voluerit [2]. Huc accedit quod Cæsar senatui paulo post scripsit cum in senatu de patrum luxuria relatum esset, « in hac relatione subtrahi oculos « meos melius fuit, ne denotantibus vobis ora ac metum « singulorum, qui pudendi luxus arguerentur, ipse etiam « viderem eos ac velut deprenderem [3] », simul autem graves et iniquas senatus offensiones ejusque imperitiam se iniquo animo ferre professum esse, unde merito concluseris eum jam senatus agendi ratione defatigari.

Quidquid est, Tiberio profecto, L. Calpurnius Piso præfectus Urbi, utpote principis absentis vices gerens, Romæ potestatem exercuit; eadem causa Sejani prætorio præfecti auctoritas crevit. Quorum alter, cum securitati Urbis extra jus patrum et magistratuum præesset [4], alter militibus, incivili potestate fungebantur. Quin etiam, C. Sallustio Crispo tum mortuo [5], Sejanus præcipuus evasit cui secreta imperii inniterentur.

1. Tacitus, *Annales*, III, 31.
2. Suetonius, *Tiberius*, 51.
3. Tacitus, *Annales*, III, 53.
4. Vide de præfecto Urbi, Tacitum, *Annales*, VI, 10, 11.
5. Tacitus, *Annales*, III, 30.

Tunc autem Romam allatum est non solum J. Florum et J. Sacrovirum Gallorum populum concivisse, sed etiam, ut opinor, discordare militem, audito Germanici exitio. Quo nuntio, perinde ac antea legionum seditione vel exitu Germanici senatores tum insane perterriti, tum Tiberio irati fuerunt. « At Romæ, non Treveros modo et Æduos, sed quatuor « et sexaginta Galliarum civitates descivisse, assumptos in « societatem Germanos, dubias Hispanias, cuncta, ut mos « famæ, in majus credita. Optimus quisque reipublicæ cura « mærebat; multi, odio præsentium et cupidine mutationis « suis quoque periculis lætabantur, increpabantque Tibe- « rium [1]. » Quidam videlicet in illo casu, sicut in eo tempore quo legiones insurrexerant, Tiberium evocatum iri optabant quo facilius novas res moliri possent [2]. At Tiberius, tanto impensius in securitatem compositus, neque loco neque vultu mutato, sed, ut solitum, per illos dies egit [3]. Rebellibus cito pacatis, epistolam senatui misit quæ, maledictis de Cæsare præteritis, patres ob ineptam pavorem modice reprehendit : scripsit enim causas cur non ipse, non Drusus profecti ad id bellum forent, magnitudinem imperii extollens, neque decorum principibus, si una alterave civitas turbet, omissa Urbe, unde in omnia regimen. Quibus auditis, senatus, ut consuetum erat, Tiberio insulse adulatus est [4].

Jam quidem in Roma sæviebat princeps, si Tacito credamus qui non Tiberium non accusatores in eo tempore fatiscere retulit [5]. Sed non est quod Tacito credamus qui, alias, primas proscriptiones tantum post mortem Drusi fuisse docet [6].

Anno XXI vero, Clutorius Priscus eques romanus et Magius Cæcilianus prætor, et municipalis quidam civis motibus Thraciæ implicatus, alius denique prætor majestatis pos-

1. Tacitus, *Annales*, III, 40, 41, 42, 43, 44.
2. « Tiberius senatui scripsit..... causas cur non ipse, non Drusus profecti ad id bellum forent ». etc. (Ibid., III, 47).
3. Tacitus, *Annales*, III, 44.
4. Tacitus, *Annales*, III, 45, 46, 47.
5. Tacitus, *Annales*, III, 38, 44. Cf. ibid., III, 37.
6. Ibid., IV, 1.

tulati sunt [1], atque anno XXII C. Silanus et Cæsius Cordus, unus Asiæ, alter Cretæ proconsules, L. Ennius eques [2].

Sed ab Haterio Agrippa, Germanici propinquo et fautore, Clutorius Priscus accusatus est; cum autem Priscus damnatus patrum jussu statim exanimatus esset, id Tiberius « solitis sibi ambagibus apud senatum incusavit, cum extolleret pietatem quamvis modicas principis injurias acriter ulciscentium, deprecaretur tam præcipites verborum pœnas..... Igitur factum senatusconsultum, ne decreta patrum ante diem decimum ad ærarium deferrentur, idque vitæ spatium damnatis prorogaretur [3] ». Nec est quod te fugierit Tiberium in reprehendendo senatu « solitis sibi ambagibus », ut ait Tacitus, et submissa voce usum esse. Magio Ceciliano absoluto, illi a quibus postulatus erat pœnas expenderunt [4]. In alterum prætorem cum actio intenderetur, ille vix reus factus magistratuum suum renuntiavit : quod cum intuitus est Tiberius, postulando destitit quia ægre ferebat prætorem accusationis causa se magistratu abdicare [5]. C. Silanus repetundarum a sociis postulabatur; majestatis quidem crimen subdebatur, sed « non dubium habebatur sævitiæ captarumque pecuniarum teneri reum »; Tiberius videlicet, præsens in curia, non temperavit quin reum voce, vultu premeret, eo quod ipse creberrime interrogabat. Quo facto contra mentes senatorum ad lenitatem misericordiamque revocati sunt. Princeps, cum de pœna constituenda libellos divi Augusti in Volesum Messalam ejusdem Asiæ proconsulem factumque senatusconsultum recitari jussit, non ea mente fuit quod illa « quæ in Silanum parabat excusatius sub exemplo acciperentur », sed ut apud senatores, nimis proconsulum avaritiæ indulgentes, Augusti auctoritate

1. Tacitus, *Annales*, III, 49-51; Dio Cassius, LVII, 20; de Magio Cæciliano vide Tacitum, *Annales*, III, 37; de Antistio municipali, ibidem III, 38; de prætore, Dionem Cassium, LVII, 21; Schiller, *op. cit.*, t. I, p. 285.
2. Tacitus, *Annales*, III, 66, 67, 68, 70.
3. Ibid., III, 49; III, 51.
4. Ibid., III, 37, 70.
5. Dio Cassius, LVII, 21; Schiller, *op. cit.*, t. I, p. 285.

prævaleret [1]. Nec aliud crimen Cæsio Cordo intentum nisi repetundarum, quarum revera convictus est [2].

Cum L. Ennius majestatis postularetur, hunc Cæsar inter reos recipi vetuit : restitit autem « quasi per libertatem » Ateius Capito, « non enim debere eripi patribus vim statuendi », Tiberius vero perstitit intercedere. Ergo, quidam e senatoribus reum majestatis in Tiberium, invito Tiberio, ad supplicium deposcebat [3]. Cum de causa C. Silani ageretur, Corn. Dolabella addidit « ne quis vita probrosus et opertus infamia provinciam sortiretur, idque princeps dijudicaret ». Qua relatione Dolabella, legibus et more majorum contemptis, jus provinciarum mandandarum a Tiberio senatui servatum abjiciebat, ita ut imperium cum principe communiter exercendum renuntiaret et totum humiliter Cæsari traderet. Respondit Tiberius : « leges in facta constitui, quia futura in incerto sint. Sic a majoribus institutum, ut, si anteissent delicta, pœnæ sequerentur. Ne verterent sapienter reperta et semper placita : satis onerum principibus, satis etiam potentiæ. Minui jura, quoties gliscat potestas; nec utendum imperio ubi legibus agi possit [4]. »

X

Anno autem XXII, relatione quadam in curia facta, cum senatus tum princeps perspexerunt quam incerta esset senatus in principem, principis in senatum gerendi ratio, quo invidia patrum in principem crescebat, et Tiberius expertus est patres non tantum sibi infensos sed reipublicæ administrandæ imperitos.

Incipiente C. Bibulo, ceteri quoque ædiles disseruerant sperni sumptuariam legem et consulti patres integrum id negotium ad Cæsarem detulerant [5]. Ex iis liquet senatum,

1. Tacitus, *Annales*, III, 67, 68.
2. Ibid., III, 38, 70.
3. Ibid., III, 37, 70.
4. Tacitus, *Annales*, III, 68.
5. Tacitus, *Annales*, III, 52.

cum nollet sibi munus assumere ut cives legibus parere cogeret, Tiberio mandavisse. Ambigi autem potest utrum hoc fecerit obstaturos reformidans, an nescius quid de illa relatione princeps sentiret, anne Tiberio invidiam eorum qui pœnas propter violatam legem solvissent impositurus, anne nimia indulgentia erga senatorii ordinis nepotes usus. Hæc sane omnia causæ fuerunt cur senatus imperium, utique tanto studio quæsitum, in hac occasione abnuerit.

Quod ipse Tiberius rursus abnuit, ita ut, inter se obtimescentes, veritus uterque ne sibi imperium noxiæ esset, Tiberius et senatus pariter imperium exercere nollent. Tiberius, cum Roma abesset, senatui scripsit : « Quod si mecum ante viri strenui, ædiles, consilium habuissent, nescio an suasurus fuerim omittere potius prævalida et adulta vitia, quam hoc assequi, ut palam fieret quibus flagitiis impares essemus. Sed illi quidem officio functi sunt, ut ceteros quoque magistratus sua munia implere velim [1]. » Hæc verba quidem primo inspicienti, Tiberio molestum fuisse videbitur quod ædiles inutilem disputationem moverent. Sin rem penitus inspexeris, apparebit ædiles a Tiberio tum laudari, tum reprehendi : laudari quidem propterea quod sua sponte, nullo jubente, res gerant, quorum ut exemplum omnes magistratus imitentur maxime optare Cæsar videtur ; reprehendi autem quod, principis consilio minime adhibito, egerint; nimio eorum studio in malam partem interpretato qui Tiberium in graviores difficultates implicare voluerint. Quod ex procedente Tiberii oratione intelligi potest. Tiberius igitur eos magistratus qui res publicas ipsi, nullo principis jussu, gerunt, gratos simul et suspectos habet.

Quod autem senatus Tiberio integrum id negotium detulerit, hoc grave sibi fuisse Tiberius non dissimulat. Ita enim loquitur : « mihi neque honestum silere, neque proloqui expeditum, quia non ædilis aut prætoris aut consulis partes sustineo. Majus aliquid et excelsius a principe postulatur ; et cum recte factorum sibi quisque gratiam

1. Tacitus, *Annales*, III, 53.

trahant, unius invidia ab omnibus peccatur [1] ». Senatui igitur, a quo ut negotiis interveniat cogitur, eo ipso quod intervenit infensus est, quia ædiles aut prætores aut consules auctoritate non definita præcellit. Sibi tamen declarandum esse quid e republica censeat, sed frustra : « Nec « ignoro in conviviis et circulis incusari ista et modum « posci ; sed si quis legem sanciat, pœnas indicat, iidem illi « civitatem verti, splendidissimo cuique exitium parari, ne- « minem criminis expertem clamitabunt. » Quibus hæc Tiberius addit : « At hercule nemo refert quod Italia externæ opis « indiget, quod vita populi Romani per incerta maris et tem- « pestatum quotidie volvitur. Ac nisi provinciarum copiæ et « dominis et servitiis et agris subvenerint, nostra nos scilicet « nemora nostræque villæ tuebuntur! Hanc, patres con- « scripti, curam sustinet princeps ; hæc omissa funditus « rempublicam trahet [2]. » Cum princeps solus, senatus autem minime quæ in reipublicæ salutem mutentur curare soleat, Tiberius suspicatur de luxuria a senatu referri, a principe autem decerni patres voluisse ut gloriam ejus rei sibi ipsis adepti, Cæsari simultates relinquant. Itaque « credite, patres « conscripti, inquit Tiberius, me quoque non esse offen- « sionum avidum ». Ceterum sibi invidiam compertam esse declarat quam exercendo imperium et publicæ utilitati consulendo sibi ipse concivit, « cum graves et plerumque ini- « quas pro republica suscipiam (offensiones), inanes et ir- « ritas, neque mihi aut vobis usui futuras jure deprecor [3] ».

Qua ratione iterum patet Tiberium jam non sperare senatum cum principe consensurum esse in republicam communiter gerendam. Quod ex eo quoque intelligi potest quod sibi paullo ante proposuerat ut Roma discederet. Non ita enim, cum principatum inivit, locutus esset.

Nec illud solum negotium fuit cui senatus vacare abnueret. Anno enim XXI, missis ad senatum litteris, Tiberius motam rursus Africam incursu Tacfarinatis docuit, judi-

1. Tacitus, *Annales*, III, 53.
2. Tacitus, *Annales*, III, 54.
3. Tacitus, *Annales*, III, 54.

cioque patrum deligendum pro consule gnarum militiæ, corpore validum et bello suffecturum. De Africa decretum est ut Cæsar legeret cui mandanda foret [1]. Cum autem solus inter proconsules Africæ proconsul milites in manu haberet, senatus jus haud inane abdicabat magistratum qui Africæ imperaret a Tiberio eligi sinendo. Tiberius propterea per litteras castigavit patres quod cuncta curarum ad principem rejicerent. Attamen in eo consilio perseveravit ut hanc provinciam senatui permitteret : M. Lepidum et Junium Blæsum nominavit ex quibus proconsul Africæ legeretur a patribus [2].

Haud aliter, anno XXII, cum cresceret per urbes Græcas licentia atque impunitas asyla statuendi, Tiberius, quamvis propria auctoritate modum imponere potuisset, utpote pontifex maximus et imperio proconsulari ornatus nullis nempe finibus determinato, tamen senatum pro publicæ religionis custode tanquam vetere republica haberi voluit. « Tiberius vim principatus sibi firmans, imaginem antiqui- « tatis senatui præbuit, postulata provinciarum ad disquisi- « tionem patrum mittendo [3] ». Ideo senatus de majorum beneficiis, sociorum pactis, numinum religionibus ut vigente republica mos erat, una cum consulibus statuit [4]. Contendenti autem Tacito hac ratione vim principatus a Tiberio sibi firmatam esse consentire non potuerim, cum ex iis quæ jam dicta sunt manifestum sit quidquid Tiberius senatui concesserit senatus invidiam et imperandi cupiditatem auxisse.

Anno etiam XXII, Tiberius mittit litteras ad senatum quibus potestatem tribuniciam Druso petebat [5]. Eodem modo Augustum erga Agrippam se habuisse memineris, deinde, Agrippa defuncto, erga Tiberium ne successor in incerto foret. Sic Tiberius non solum consuetudinem ab Augusto

1. Tacitus, *Annales*, III, 32.
2. Tacitus, *Annales*, III, 35. Mommsen, *Droit public romain*, t. III, p. 287.
3. Tacitus, *Annales*, III, 60.
4. Ibid., III, 63.
5. Ibid., III, 56.

traditam sequebatur, sed senatui jus tribuniciæ potestatis concedendæ confirmabat. Neque propterea erat quod senatores offenderet qui in curia Juliis favebant, cum Tacitus fateatur, incolumi Germanico, Tiberium inter Germanicum et Drusum integrum judicium tenuisse [1]. Præceperant animis orationem patres; quo quæsitior adulatio fuit. Nec tamen repertum nisi ut effigies principum, aras deum, templa et arcus aliaque solita censerent; nisi quod M. Silanus ex contumelia consulatus honorem principibus petivit dixitque pro sententia, ut publicis privatisve monumentis, ad memoriam temporum, non consulum nomina præscriberentur sed eorum qui tribuniciam potestatem gererent [2]. Quæ autem decreta Tiberius temperavit. Sed eæ litteræ quibus Drusus senatui gratias egit, quanquam ad modestiam flexæ, pro superbissimis acceptæ sunt, senatoresque et Drusum et Tiberium de his litteris carpere contenderunt [3].

Hoc quoque anno cum Junia, C. Cassii uxor, M. Bruti soror, supremum diem explevit, quamvis in testamento Tiberium omiserit, id civiliter accepit Tiberius, neque prohibuit quominus laudatione pro rostris ceterisque solemnibus funus cohonestaretur [4]. Et Pompeii theatrum, igne fortuito haustum, Cæsar exstructurum pollicitus est eo quod nemo e familia restaurando sufficeret, manente tamen nomine Pompeii [5].

Anni principio XXIII, Drusus ex Germanici liberis togam virilem sumpsit, quæque fratri ejus Neroni decreverat senatus, repetita. Addidit orationem Cæsar multa cum laude filii sui, quod patria benevolentia in fratris liberos foret. Tiberius itaque et eos qui in curia Juliis favebant et filium Drusum et se ipsum communi erga Germanici liberos amore consociare tentabat [6].

1. Tacitus, *Annales*, III, 56.
2. Ibid., III, 57.
3. Ibid., III, 59.
4. Tacitus, *Annales*, III, 76.
5. Velleius Paterculus, II, 130. Cf. Augustum « Capitolium et Pompeium theatrum... refeci sine ulla inscriptione nominis mei » (Mommsen, *Res gestæ divi Augusti,* XX, 9).
6. Tacitus, *Annales,* IV, 4.

XI

Tunc autem Sejanum negotiis interesse apparet. Tiberius enim, inquit Dio, Sejanum « καὶ σύμβουλον καὶ ὑπηρέτην πρὸς « πάντα ἐποιεῖτο [1] », etsi Drusus crebro questus est, incolumi filio adjutorem imperii alium vocari [2]. Sejani auctoritas unde orta sit quærendum est. Sejanus « Tiberium variis « artibus devinxit, adeo ut obscurum adversus alios, sibi uni « incantum intectumque efficeret [3] ». Omnibus quidem principibus secretorum quodam participe opus esset qui senatorum invidiam non moveret, neque ipsi principi origine et dignitatibus periculo fieret. Quem locum Mæcenas apud Augustum, deinde Sallustius Crispus tenuerat, eques uterque, sine dignitate senatoria et honorum incuriosi. Magis autem quam ceteris, cum animo reconditus esset, Tiberio opus erat ut secreta imperii familiari cuidam traderet. Quem cum inter senatores, aut invidos, aut sibi nobili origine propiores quam ut sine periculo essent, non reperire posset, sibi primum Sallustium Crispum, Sejanum deinde adscivit, equitem origine provincialem, principe tantummodo nixum, neque alium atque principem spectantem. Præterea Sejanus, cum præfectus prætorio et, tanquam miles verbo adstrictus, imperatori subditus esset, Tiberio milites præstare poterat qui senatui opponerentur [4].

Quoniam autem, nulla lege dyarchiam definiente, Cæsaris potestas a senatu tantum coercere posset, Sejano quidem, utpote Cæsaris vices gerenti, tantam potestatem assequi facultas erat ut ipsi principi periculosus fieret. Sed hoc Sejani auctoritati obstabat Drusum superesse, et Tiberium, dyarchiæ fautorem, senatus et magistratuum auctoritatem curare ut augeret, quippe quos in imperio regendo sibi consociaret.

1. Dio Cassius, LVII, 19.
2. Tacitus, *Annales*, IV, 7.
3. Ibid., IV, 1.
4. Abraham, *Tiberius und Sejan*, p. 14, 15; Hirschfeld, *op. cit.*, p. 218.

Primum Sejani facinus fuit Drusus veneno occisus [1]. Tiberius per omnes valetudinis Drusi dies, nullo metu an ut firmitudinem animi ostentaret, etiam defuncto necdum sepulto, curiam ingressus est. Consulesque sede vulgari per speciem mœstitiæ sedentes honoris locique admonuit, et effusum in lacrymas senatum, victo gemitu, simul oratione continua erexit. « Non quidem sibi ignarum posse « argui quod tam recenti dolore subierit oculos senatus : vix « propinquorum adloquia tolerari, vix diem adspici a ple- « risque lugentium. Neque illos imbecillitatis damnandos : « se tamen fortiora solatia complexu reipublicæ petivisse [2]. » Quibus verbis Tiberius, cum præsertim consules honoris locique, more majorum, admoneret, priscum Romanum se præstare videtur [3]. Anne credendum eum propter inhumanitatem adeo constantem fuisse, quod ipse vulgatum iri suspicabatur, quod vero vulgatum est cum Suetonius horrendum Cæsaris de filii morte jocum referat [4]?

Tiberius præterea in curia locutus est de reddenda republica, « utque consules seu quis alius regimen susciperent ». Quem senatus irrisit [5]. Ego contra crediderim principem imperio defatigatum onus imperii pro parte in alios rejicere voluisse. Quod jam initio principatus nuntiaverat, et verum esse probaverat paratis sibi successoribus et nuper Roma profectus. Nunc ætate provectus, subito Druso filio orbatus, et quærens cui partes suas deferret, ad patres et consules confugit qui nomine summum imperium gerebant, et, principis voluntate imperium pro parte exercebant. Non magis quidem quam antea Tiberius in animo habuit ut senatui cuncta deferret, sed ut illius potestatem augeret quam ipse jam magnam fecerat.

Illud propositum senatum irrisisse Tiberius sane iniquo animo tulit. Denique, cum die funeris Drusi, laudante

1. Tacitus, *Annales*, IV, 3; IV, 8, 10, 11.
2. Tacitus, *Annales*, IV, 8; Dio Cassius LVII, 22.
3. Tacitus, *Annales*, IV, 13; Cf. Tiberium apud Dionem LVII, 14; Mommsen, *Droit public romain*, t. V, p. 79.
4. Suetonius, *Tiberius*, 52.
5. Tacitus, *Annales*, IV, 9.

filium pro rostris principe, senatus populusque habitum ac voces dolentum simulatione magis quam libens indueret, domumque Germanici revirescere occulti lætarentur, et spem Agrippina male tegeret, Cæsar indignatus est [1].

Tum princeps, cum officium suum senatui infenso deferre non posset, Sejano tradidit. Principis inde adversus Agrippinam et omnes Juliorum fautores ira adeo crevit ut, sui jam non compos, in sævitiam delaberetur, quæ, natura insita, tantis molestiis excitata est. Augebat etiam Sejani auctoritas Tiberii in Agrippinam et patres iracundiam. Quare omnes veteres historici ejus agendi rationem tunc mutatam esse narrent : « Tiberio mutati in deterius principa- « tus initium ille annus attulit » ; et hæc : « Nonus Tiberio « annus erat compositæ reipublicæ cum repente turbare for- « tuna cœpit, sævire ipse aut sævientibus vires præbere [2]. » Non subito tamen mutatus est, cum jam Germanico mortuo, si Tacito credamus, principis animus turbatus fuisset. Nec quidem eum tunc prorsus a se alienum fuisse dixeris cum a dyarchiæ ratione nondum destiterit, et, mortua Livia, eum etiam in deterius mutatum esse Tacitus asseruerit.

« Initium et causa penes Aelium Sejanum » ait Tacitus [3]. Non autem vera causa penes Sejanum, cum Tiberius Sejano nixus fuerit propterea quod senatu niti non potuisset.

Sejanus vero vim præfecturæ modicam antea intendit, dispersas per Urbem prætorianas cohortes una in castra conducendo [4]. Quo principis potestatem magis incivilem, et principem adversus senatum, vel ipsum si occasio tulerit adversus principem, validiorem efficiebat. Itaque Sejanus, « adjutor principalium onerum » a Tiberio vocatus, ornamentis prætoriis ornatus neque senatorio ambitu abstinens, senatui maximo in odio fuit [5]. Nam in Sejano sita, vis

1. Tacitus, *Annales*, IV, 12 ; Duruy, *Histoire romaine*, t. III, p. 465.
2. Tacitus, *Annales*, IV, 1, 6, 7; VI, 51 ; Dio Cassius LVII, 23; Suetonius, *Tiberius*, 62 ; Duruy, *Histoire romaine*, t. III, p. 465.
3. Tacitus, *Annales*, IV, 1; Abraham, *Tiberius und Sejan*, pp. 15-16.
4. Tacitus, *Annales*, IV, 1 ; Abraham, *Tiberius und Sejan*, p. 16; Hirschfeld, *op. cit.*, p. 218; Herzog, t. II, p. 248. Cf. Domitianum apud Gsell, p. 42.
5. Velleius, II, 127; Tacitus, *Annales*, IV, 2; III, 66; (V, 8); Dio Cassius, LVII, 19.

militum gravior in civitatem esse videbatur. Hoc quoque patres ægre ferebant quod Sejanus, in senatus locum, tanquam socius laborum principis factus erat. Sejanus præterea, ornamenta prætoria adeptus et senatus negotiis immixtus, eques origine, imo municipalis erat. Mæcenas et C. Sallustius Crispus contra, qui priores secretorum principis participes fuerant, alter a regibus, alter ab illustri historico avunculo originem ducebant; uterque autem inter optimates numerabantur, cum moribus expolitis et luxuria eminerent; uterque magistratus abnuebant et senatui negotiis minime interveniebant. Sejanum tanquam equitem et municipalem patres detrectavisse credimus, cum Velleius Sejani cliens, multos quamvis humiles summam potestatem jam adeptos esse doceat, Sejanum velut excusando. Dio autem de ornamentis prætoriis Sejano concessis dicit : « ὅ « μήπω πρότερον μηδενὶ τῶν ὁμοίων αὐτῷ ἐγεγόνει [1]. »

Sed Sejanus eo Cæsari gratior fuit quod senatoribus summo in odio esset, ita ut omnia quæ Sejanus de senatoribus aut de Juliis narraret Cæsar vera esse crederet. Ille itaque princeps qui potestatem militibus nixam esse nuper latere voluerat, et præcipue studebat ut in regendo imperio cum senatu consentiret et consentire videretur, familiarem quemdam deinceps pro ipso imperare sivit, militibus præfectum et a senatu dissidentem, quo auctore, male sentientes patres iterum atque iterum mulctavit. Senatus quidem, si speciem modo rerum inspexeris, cum principe sociatis laboribus imperare non desiit; Sejanum autem, socium principis laborum, magistratus et primores omnibus de rebus consulebant [2] ita ut eo dyarchia minueretur quod non jam civilis potestas et senatus auctoritas valerent. Majestatis etiam actiones in diem increbuerunt, quibus, Sejano auctore si Abraham credendum est, Tiberius ad firmandum imperium constanter usus est.

1. Tacitus, *Annales*, IV, 3; IV, 40; Velleius, II, 127, 128; Dio Cassius, LVII, 19. Cf. Madvig, *op. cit.*, t. II, p. 312; Stahr, *op. cit.*, p. 169.
2. Dio Cassius, LVII, 21; Abraham, *Tiberius und Sejan*, p. 16.

XII

A morte Drusi usque ad Tiberii in Caprea insula secessum, Tiberius nunc reverentiam nunc sævitiam erga sentores præstitit.

Cum de filio defuncto in curia locutus est, petivit ut Germanici liberi, unica præsentiorum malorum levamenta, inducerentur. Egressi consules firmatos alloquio adolescentulos deductosque ante Cæsarem statuunt. Quibus apprensis Tiberius ait : « Patres conscripti, preces ad vos « converto disque et patria coram obtestor : Augusti pronepotes suscipite, regite ; vestram meamque vicem explete. « Hi vobis, Nero et Druse, parentum loco. Ita nati estis ut « bona malaque vestra ad rempublicam pertineant [1]. » Tiberius igitur, sibi constans, senatum populi Romani tanquam vices gerentem agnoscebat, a quo omnis auctoritas manaret, qui in cuncta quæ ad rempublicam pertinerent tuitionem quamdam exerceret, adeo ut patribus puerorum tutelam princeps traderet quorum sors maxime reipublicæ conduceret. Senatui præterea omnium optimatum summo concilio, nobilissimæ gentis sobolem protegendam mandabat. Imo, totum senatum et Juliorum fautores sibi communi ultimorum Juliorum tutela conciliare tentabat.

Eodem anno Tiberius sextum et vicesimum sodalem Augustalem instituit, ut in collegio sodalium Augustalium Druso majori Germanici filio locus foret, et diem Neronis et Drusi tirocinii congiario plebi dato celebravit [2].

Sequentis anni principio, cum certior factus esset a sacerdotibus Neronem et Drusum palam deis commendatos esse, Tiberius egit cum senatu « non debere talia « prœmia tribui, nisi expertis et ætate provectis [3] ». Ita, quod Augustus de C. et L. Cæsare fecerat imita-

1. Tacitus, *Annales*, IV, 8; Dio Cassius, LVII, 22; cf. LVI, 26.
2. Suetonius, *Tiberius*, 54.
3. Ibid.; Tacitus, *Annales*, IV, 17.

batur [1]. Ipse quidem senatum litteris monebat in posterum ne quid mobiles adolescentium animos præmaturis honoribus ad superbiam extolleret. Quod tamen patres ægre tulerunt [2].

Anno XXIV : « διελθόντων δὲ τῶν δέκα ἐτῶν τῆς ἀρχῆς αὐτοῦ, « ψηφίσματος μὲν ἐς τὴν ἀνάληψιν αὐτῆς οὐδενὸς ἐδεήθη. Οὐδὲ « γὰρ ἐδεῖτο κατατέμνων αὐτὴν, ὥσπερ ὁ Αὔγουστος, ἄρχειν [3]. » Memineris nempe nullis temporis finibus jus regendi provincias quas sibi Tiberius assumpserat determinatum fuisse. Qua ratione principis potestas in vitam prorogata est. Sed cum illud nulla lege fieret, Tiberius dyarchiam experiri perseveravit, non autem lege instituere conatus est.

Cum pro incolumitate Neronis et Drusi sacerdotes vota susciperent, modice a Cæsare perstricti sunt : « etenim « pars magna e propinquis ipsius aut primores civitatis « erant [4] ». Consulum quoque jura tuenda esse princeps docebat « quorum vigiliis niteretur ne quod res publica detri- « mentum caperet [5] ». Ipse Tacitus confessus est apud patres etiam tunc cuncta tractari [6]. De flamine Diali legendo disserebat Cæsar : « medendum senatus decreto aut lege » [7]; lex lata est, sed auctoritate senatus.

Variis dehinc et sæpius irritis prætorum questibus, postremo Cæsar de immodestia histrionum retulit [8]. Plautius Silvanus prætor, cum Aproniam conjugem in præceps jecisset, tractus est ad Cæsarem. Tiberius pergit in domum, visit cubiculum et ad senatum causam refert [9].

Procurator autem Asiæ Lucilius Capito accusatus est a provincialibus quod vim usurpasset manibusque militum usus foret [10]. Qui inter Tiberii ministros erat quorum delicta pro privatis inimicitiis habita, tanquam a senatu judicanda,

1. Vide de Caio et Lucio Cæsare Dionem Cassium, LV, 9; Stahr, *op. cit.*, p. 150. Cf. Tiberium de Caio apud Dionem, LVIII, 23.
2. Tacitus, *Annales*, IV, 17.
3. Dio Cassius, LVII, 24.
4. Tacitus, *Annales*, IV, 17.
5. Ibid., IV, 19.
6. Ibid., IV, 15.
7. Ibid., IV, 16.
8. Tacitus, *Annales*, IV, 14.
9. Ibid., IV, 22.
10. Ibid., IV, 15 ; Dio Cassius, LVII, 23.

a principe quidem mulctanda esse Tiberius cum de Pisone ageretur censuerat. In hac re quidem, Tiberius Capitonem uti privatum ministerium tractavit cui jus dederat in servitia et pecunias familiares; sed cum Capito, utpote imperatoris in senatoria provincia procurator, jura proconsulis provinciam pro senatu regentis læsisset, Tiberius mandata sua spreta fuisse magna cum asseveratione professus est, et Capitonem senatui tradidit qui tum de causa tum de pæna statueret [1]. Quo principis ministros Tiberius admonebat senatus auctoritatem in iis provinciis quæ senatus erant summam esse. Dehinc decrevere Asiæ urbes templum Tiberio matrique ejus ac senatui. Quod Tiberius, « quia « cultu suo senatus adjungebatur », bono animo accepit [2].

Denique cum rex Mauritaniæ Ptolemæus bene de populo Romano meritus esset, repetitus ex vetusto more honos, missusque e senatoribus, qui scipionem eburnum, togam pictam, antiqua patrum munera, daret, regemque et socium atque amicum appellaret. E quibus sequitur Tiberii voluntate senatum non solum jus se externis negotiis immiscendi, sed facultatem Augusto imperante amissam legatos ad populos externos mittendi recuperavisse [3].

Contra annis XXIII, XXIV, XXV, plures quam antea damnati sunt. Inter quos fatendum est proconsules fuisse repetundarum causa, in multos tamen cuncta quæstione majestatis exercita, præsertim in Juliorum fautores : in C. Silium scilicet quondam in Germania superiore legatum et Germanici amicum, qui jactaverat immodice quod optime de Tiberio meruisset, suo milite in obsequio durante cum alii ad seditiones prolaberentur [4]; in Calpurnium Pisonem, nobilem virum jam ineunte principatu ferocem [5]; in Ælium Saturninum propter procaces ver-

1. Tacitus, *Annales*, IV, 15; Dio Cassius, LVII, 23.
2. Tacitus, *Annales*, IV, 15; IV, 37.
3. Ibid., IV, 26; Mommsen, *Droit public romain*, t. IV, p. 400.
4. Tacitus, *Annales*, IV, 18, 19. Vide de P. Suillio quæstore Germanici, ibid., IV, 31; de Vibio Sereno ob atrocitatem morum de vi publica damnato, ibid., IV, 13.
5. Tacitus *Annales*, IV, 21.

sus [1]. Cum una ex his causa ageretur, Tiberius primus sententiam rogatus reum absolvendum esse censuit, ne severitatem senatoribus imponere videretur [2]. In alia autem causa, reum amovendum in insulam censuit, tanta contentione animi, ut jurejurando obstringeret e republica id esse [3]. Anno XXV Cremutius Cordus majestatis postulatur quod edictis annalibus, laudatoque M. Bruto, C. Cassium Romanorum ultimum dixisset. Quod duos tantum annos evenit post illud Juniæ testamentum et funus quod Tiberius civiliter toleraverat. Cremutii Cordi Cæsar truci vultu defensionem accepit, et, postquam reus vitam abstinentia finivit, libros per ædiles cremandos censuere patres [4].

Quæ crimina, suadente Sejano, pleraque intenta erant, et rei a Sejani clientibus postulati. Imo, condemnato Cremutio Cordo, Tiberius prætorii exercitationibus quibus territi evaderent senatores adesse voluit [5] : quod certe Tiberium Sejanus suaserat ut manifestum fieret potestatem principis militibus niti, quod antea Tiberius omnes celare conabatur. Tiberius tamen, veniam C. Cominio, equiti quidem, dedit. Non obstitit quominus delator famosus senatu pelleretur, cui revera exilium deprecatus est [6]. Alius etiam senator, non quia nomen alicujus detulerat sed quod hoc feriarum Latinarum diebus fecerat, exilio mulctatus est [7].

Tiberius igitur adversus singulos senatores nunc sævum se præstabat. Procedente tamen quadam majestatis actione, cum contumelias a reo dictas Cæsar audiret, adeo perculsus est, ut se vel statim vel in cognitione purgaturum clamitaret [8]. Ergo Tiberius, cum se falso crimine insimulatum existimaret, consilii sui rationem senatui reddere voluit, quem tanquam summum imperium detinentem et populi Romani vices gerentem verebatur, quod in hujus

1. Dio Cassius, LVII, 22.
2. Dio Cassius, LVII, 24.
3. Tacitus, *Annales*, IV, 31.
4. Tacitus, *Annales*, IV. 34, 35; Dio Cassius, LVII, 24.
5. Dio Cassius, LVII, 24.
6. Tacitus, *Annales*, IV, 31.
7. Ibid., IV, 36.
8. Tacitus, *Annales*, IV, 42.

modi casibus se facturum essse jam ineunte principatu professus erat, adeo dyarchiæ ratio et erga senatum reverentia ejus animo defixæ hærebant.

Ceterum utique, humilioribus contemptis, Tiberius honestioribus favebat. Anno enim XXIV, lege Visellia decretum est ut actio in libertos intenderetur qui jura civilia et decurionale officium occuparent [1]. Sejano quoque Liviam Druso privatam in matrimonium princeps dare noluit, cavens, inquit, ne Agrippinam et Julios irritaret, neve flagitium et dedecus senatui videretur uxoris quam principis filius habuerat cum equite connubium, fortasse quoque, puto, novi hominis fastidiosus in Cæsaris gentem adsciri appetantis [2].

1. Bouché-Leclercq, *Manuel des Institutions romaines*, p. 355, note 3; Schiller, *op. cit.*, t. I, p. 287.
2. Tacitus, *Annales*, IV, 40.

CAPUT SEXTUM

QUA MENTE TIBERIUS SINGULAS QUASQUE RES CUM SENATU TRACTAVERIT PER DECEM SIVE DUODECIM PRIORES PRINCIPATUS ANNOS.

Cum jam perspectum fuerit quomodo erga senatum per decem aut duodecim priores principatus annos sese Tiberius habuerit et paulatim agendi rationem mutaverit, nunc inquirendum qua mente singulas quasque res cum senatu tractaverit. Idem ex iis quod ex antea dictis sequi apparebit, scilicet principem cum senatu sociatis laboribus rem Romanam administrare voluisse ita ut dignitate prior senatus esse videretur, sed cum senatores infensi essent, ab eo consilio revocatum esse.

I

Etenim, quamvis Tiberio cuncta gerendi jus esset, cuncta tamen gessit auctore senatu aut auctoribus consulibus qui, cum senatui præessent, pro senatu agebant. Nec tantum consules sed minores etiam magistratus pro se ipso agere voluit. Omnibus denique operam dabat quæ in republica tractabantur, eo consilio ut sua potestas quam maxime lateret [1]. Quidquid autem ageret se Augusti exemplum sequi, sin senatui aut magistratibus obsistendum esset, eos contra instituta Augusti egisse aiebat [2].

1. Cf. Boissier, *L'opposition sous les Césars*, p. 178.
2. Tacitus, *Annales*, I, 14; II, 59; III, 24, 25, 28, 29, 68; IV, 42.

II

Antea jam diximus senatui candidatos eligendi jus concessum esse, Tiberium etiam promisisse se maxime cauturum ne candidatos commendandi jure abuteretur. Quo in consilio semper sibi constitit. In senatu vero major quam in foro ambitus fuit, et si qui eligendi essent non publicæ, sed privatæ utilitati consulebatur, cum omnes usu familiaritatis conjuncti essent et modo amici modo inimici. Tiberius quoque magistratuum numerum auxit, ita ut alteri munus, alteri dignitatem tribueret, omnibus probaretur [1]. Quos institui voluit extraordinarii magistratus, pauci quidem et ex senatusconsulto instituti sunt, atque a senatoribus gesti [2]. Præturæ extra ordinem datæ quibusdam, illi revera senatorii ordinis erant [3]. Solus inter humiliores Sejanus ornamenta prætoria adeptus est. Tiberius nempe mandabat honores fere semper nobilitatem majorum spectando [4].

Apridium Merulam quidem albo erasit, hoc autem propterea fecit quod in acta divi Augusti non juraverat [5]. Illos tantum patres qui opitulatione indigni erant propter inopiam e senatu exire passus est, alios autem juvit. A lectione senatus quoque abstinuit, in hoc Augusto dissimilis; quin etiam jus senatum legendi recusavit [6].

III

Tiberius tanquam omnibus auctoritate præcellentem veritus est senatum, a quo propterea rem publicam esse ges-

1. Dio Cassius, LVIII, 20; LVIII, 19.
2. Tacitus, *Annales*, II, 43; II, 47; Mommsen, *Droit public romain*, t. V, p. 285-286.
3. Tacitus, *Annales*, II, 32.
4. *Ibid.*, IV, 6.
5. *Ibid.*, IV, 42.
6. Tacitus, *Annales*, II, 33. Vide Herzog, *op. cit.*, t. II, p. 863, 864.

tam historici existimaverunt. Neque tam parvum quicquam neque tam magnum publici privatique negotii fuit de quo non ad patres referretur [1]. Vere dixeris principem, sicut vetere republica magistratus erga senatum se habuisse, a quo adjuvaretur, imo si occasio tulerit reprehenderetur, ita ut in curia, patribus consulentibus, de re publica decerneret.

In senatu dabatur primoribus disserere [2]. « Καὶ ἔς γε τὸ « μέσον τὴν ἑαυτοῦ γνώμην τιθεὶς, οὐχ ὅπως ἀντειπεῖν αὐτῇ παντί « τῷ παῤῥησίαν ἔνεμεν · ἀλλὰ καὶ τἀναντία οἱ ἔστιν ὅτε ψηφιζομένων « τινῶν ἔφερε. Καὶ γὰρ αὐτὸς ψῆφον πολλάκις ἐδίδου...., ἐκεῖνος δὲ « ἔστι μὲν ὅτε ἐσιώπα, ἔστι δ'ὅτε καὶ πρῶτος, ἢ καὶ μετ' ἄλλους « τινὰς, ἢ καὶ τελευταῖος, τὰ μὲν ἄντικρυς ἀπεφαίνετο, τὰ δὲ δὴ « πλείω, ἵνα ἡ μὴ δοκῇ τὴν παῤῥησίαν αὐτῶν ἀφαιρεῖσθαι, ἔλεγεν « ὅτι « Εἰ γνώμην ἐποιούμεν, τὰ καὶ τὰ ἂν ἀπεδειξάμην » [3]. Quin etiam patiebatur, quod a majoribus concessum essèt, « egredi « aliquando rationem », et quod in commune conduceret « loco sententiæ promere ». Eatenus interveniebat ne quid perperam fieret [4].

In senatu autem « de legendo vel exauctorando milite, « ac legionum et auxiliorum descriptione » agebatur [5]. Hæc tantum de Africæ provincia dicta esse Mommsen arbitratur, nempe quæ sola inter senatorias provincias non inermis erat [6]. Quod falsum esse ex Suetonio intellexeris, quo auctore Tiberius « corripuit consulares exercitibus præ« positos, quod non de rebus gestis senatui scriberent ». Tiberius quoque res gestas Germanici et Furii Camilli apud senatum celebravit, et decrevere patres triumphalia insigna [7]. Senatus itaque, consentiente Imperatore, exercitum in manu habuit; quod, iis institutis quæ supremis reipublicæ temporibus et imperante Augusto vigebant contra-

1. Tacitus, Annales, IV, 6; Suetonius, *Tiberius*, 30.
2. Tacitus, *Annales*, IV, 6.
3. Dio Cassius, LVII, 7.
4. Tacitus, *Annales*, II, 33; II, 38; Suetonius, *Tiberius*, 33; *ibid.*, 30, 28.
5. Suetonius, *Tiberius*, 30; Mommsen, *Droit public romain*, t. V, p. 121 et note 6.
6. Mommsen, *Droit public romain*, t. VII, p. 305, note 4.
7. Suetonius, *Tiberius*, 32; Tacitus, *Annales*, I, 52, 72; II, 52, 60, 88.

rium [1], legiones indignatæ sunt, nec tamen Tiberius, militum seditione repressa, a suo proposito destitit.

De jurisdictione quidem, quanta et qualis cujusque esset, tum senatus et consules qui senatui præerant, tum quæstiones et prætores, tum denique princeps certabant. Magnam autem causarum partem Tiberius senatui concessit, quarum quædam ad rem publicam imo ad senatorum negotia minime pertinentes, civilis admodum juris erant. Merito quidem dixeris, senatus potestate aucta, principis potestatem crescere. Hoc tamen animadvertendum, si principis in cuncta auctoritatem omiseris, senatui quidlibet pro arbitrio judicandi jus fuisse, cum de omnibus decerneret causis quarum unaquæque ad aliam quæstionem pertinuisset, si forte reus ad quæstiones perpetuas delatus esset. Senatui etiam cum simul judicandi et leges ferendi jus esset, licebat quæ lege omissa erant supplere aut legem in quamlibet partem interpretari [2]. Quod si forte causam senatus aliis tradere vellet, judices dabat [3]. Tiberius quoque juris exsequendi formulam a senatu constitui pæne semper passus est, quæ hujusmodi erat : consules, senatus more, jus exsequuntur, accusator vero adit consules, senatus cognitionem poscit, et vocantur patres [4]. Fatendum quidem Tiberium ipsum in sententiam ire, quamvis principis sententiæ omnes obsequi solitum foret ejusque intercessum reus formidaret. Itaque principem suis consiliis non modo adesse sed etiam intervenire senatores ægre ferebant : « Nec patrum cognitionibus satiatus, judiciis assidebat » inquit Tacitus, non sine ira [5].

Eodem tempore, senatusconsulta quæ legum locum tene-

1. Madvig, *op. cit.*, t. II, p. 11; Willems, *Le sénat de la République, romaine*, t. II, p. 646; Dio Cassius, LIII, 15, 17, et Mommsen, *Droit public romain*, t. V, p. 121 et note 6.

2. Mommen, *Droit public romain*, t. III, p. 135-137; t. VI, p. 67; Mispoulet, *op. cit.*, t. I, p. 277, note 8; Willems, *Droit public romain*, p. 473.

3. Vide Tacitum, *Annales*, IV, 22

4. Ibid., II, 28.

5. Tacitus, *Annales*, I, 74, 75; III, 67, 70; Mommsen, *Droit public romain*, t. V, p. 249; Herzog, t. II, p. 877.

rent, comitiorum detrimento, senatus ferre solebat : « Senatusconsultum, id quod senatus jubet atque constituit, legis vicem obtinet. » Tres tantum leges tum latæ, scilicet lex Julia Norbana, lex Visellia, lex quæ ad eligendum flaminem Dialem spectat. Qua in re Tiberium senatusconsulto contentum fuisse jam diximus. Paucis illis legibus Mommsen tot senatusconsulta opposuit quæ eodem tempore de rebus civilibus aut de re Romana administranda lata sunt [1]. Hæc Tiberii simplicissima agendi ratio fuit ut a senatu deliberationem aut decretum postularet : « Princeps senatusconsultum fieri jussit », « princeps senatusconsultum decernendum curavit », « factum Tiberio auctore senatusconsultum [2] ». Magistratus sive sponte sua, sive suadente Tiberio quod sæpius evenit, senatum inducunt ut de aliqua re actum sit [3]. Ipse quoque Tiberius decreta profert et a magistratibus rogatur quomodo latis legibus utendum sit [4]. Unde patet leges ferri præsertim a senatu et principe sociatis.

Tiberius quoque se religiosissimum præstat cum deceat summum magistratum diis rem publicam commendare et moribus majorum obsequi, et maximum pontificem deos publice colere. Cum etiam more majorum conveniat senatum de religione noscere, hoc ei Tiberius concedit. Anno enim XXII, senatus, ut antea diximus, modum licentiæ asyla statuendi senatusconsulto attulit; sacra quibus Italicæ urbes utebantur et publicum Romæ cultum pariter habenda esse censuit, et eos qui superstitiones ab alienis gentibus Romam inducerent mulctavit, eos qui in sacerdotum collegiis muneribus fungerentur elegit, sæpius quidem referente Cæsare [5].

De quibusdam quæ ad res externas pertinerent, jam

1. Mommsen, *Droit public romain*, t. V, pp. 158-160, 164-166 ; t. VII, p. 498 ; Willems, *Le sénat de la République romaine*, t. II, p. 114 ; Willems, *Droit public romain*, p. 456 ; Herzog, t. II, p. 894.

2. Madvig, *op. cit.*, t. II, p. 294 ; Tacitus, *Annales*, IV, 13 ; Herzog, t. II, pp. 719-729.

3. Tacitus, *Annales*, III, 51 ; IV, 16.

4. Ibid., I, 72 ; II, 33 ; Mommsen, *Droit public romain*, t. V, p. 196 ; t. VII, p. 499 ; Herzog, t. II, pp. 713 et 714.

5. Tacitus, *Annales*, II, 86 ; III, 19, 60-63, 71 ; Herzog, t. II, p. 749.

antea dictum est senatui Tiberium retulisse, quippe qui senatum, auctore Suetonio, rogare soleret quid et qua forma regum litteris rescribi placeret [1].

Tiberius denique ad senatum retulit de vestigalibus ac monopoliis, de exstruendis reficiendisve operibus, etsi patribus non consuetudo fuit ut his operam darent [2]. Corrigendis quoque moribus senatum intervenisse ex antea dictis liquet [3].

Attamen senatus amplissimo muneri quod ei Tiberius concesserat imparem se præstitit. Patres enim a principe cogendi erant ut senatui frequentiores adessent et labori incumberent [4]. Tempus etiam insulsis disputationibus consumebant [5], et in judiciis turpe eorum studium, modo favendi modo nocendi causa. Senatui principem adesse patribus molestum erat quia eo præsente vitiis admodum cedere non audebant [6].

Quorum dignitas præsertim minuebatur quod ad delationem et adulationem prompti erant. Nec tantum ambitionis aut utilitatis causa ut mercedes accusatorum, pecuniam scilicet vel magistratus, obtinerent, sed tanquam natura ad delationem propensi, reos deferebant, ita ut, exempli gratia, lege Poppæa uterentur. Cum Tiberium continuis adulationibus prosequerentur [7], memoriæ traditur eum, quoties curia egrederetur, in hunc modum eloqui solitum. « O homines ad servitutem paratos [8] ». Patres cum unice propriæ utilitati consulere perspiceret Cæsar, iis profitebatur libertatem in curia disputandi non ob hoc institutam esse « ut privata negotia, res fami« liares nostras hic augeremus [9] ». Tiberio quoque com-

1. Vide supra, atque Mommsen, *Droit public romain*, t. V, p. 244, note 4; Madvig, *op. cit.*, t. II, p. 1; Suetonius, *Tiberius*, 30.

2. Suetonius, *Tiberius*, 30; Mommsen, *Droit public romain*, t. V, p. 237.

3. Tacitus, *Annales*, II, 85.

4. Dio Cassius, LVIII, 21; Tacitus, *Annales*, II, 35.

5. Tacitus, *Annales*, III, 31. Cf. Gsell, de Domitiani imperatoris senatu, *op. cit.*, pp. 34, 334, etc.

6. Tacitus, *Annales*, I, 46; I, 75.

7. Suetonius, *Caligula*, 30.

8. Tacitus, *Annales*, II, 87; III, 25, 28, 37, 52, 54, 65; IV, 6, 52; IV, 66; Suetonius, *Tiberius*, 27.

9. Tacitus, *Annales*, II, 38.

pertum erat senatores arbitrari sibi a principe opes suppeditandas esse : pecuniam itaque tantummodo si qui digni essent, et in publicum aut senatu auctore, dono dabat [1]. Neque eum fugiebat quam pravi eorum mores essent, quoniam, ut antea dictum est, professus fuerit ad cohibendam luxuriam novas leges irritas fore [2].

Cæsar nihilominus ut senatus dignitas major omnibus esse videretur, patres cogebat magno sumptu vivere [3], et magnam senatoribus reverentiam ostendebat quoniam eis, utpote amplissimo ordini, in omnibus solemnibus locum familiæ principis proximum daret, et maxime caveret ne dum salutatio fieret cum turba salutantium confunderentur [4]. Imo Passienum Crispum magnopere laudavit quod orationem quamdam ille in curia his verbis inceperat « Patres conscripti et tu, Cæsar ». Patribus quoque prorsus confidere affectabat, nam quidquid sibi læti contingeret tanquam collegis et amicis nuntiavit, atque quam plurimum operam dedit ne quid eis in privata vita accideret [5], nec unquam curiam nisi solus intravit.

IV

Augustum quidem imitatus, a Julio Cæsare autem discrepans, Tiberius magistratuum dignitatem omnibus modis augere conatus est. Prætorem collaudavit, quod honore inito consuetudinem antiquam retulisset de majoribus suis pro concione memorandi. Negabat destinatos magistratus abesse oportere, ut præsentes honori acquiescerent [6].

Sed omnium consules in maximo cultu habebat, senatus præsides, quorum vetere republica suprema potestas et majus imperium erat, quorum dignitas « amplissimus honor »

1. Tacitus, *Annales*, II, 48; Velleius, II, 129.
2. Tacitus, *Annales*, III, 52-55; Dio Cassius, LVII, 13.
3. Suetonius, *Tiberius*, 35.
4. Tacitus, *Annales*, III, 24; Dio Cassius, LVII, 11.
5. Suetonius, *Tiberius*, 30; Tacitus, *Annales*, II, 84; Dio Cassius, LVII, 23.
6. Suetonius, *Tiberius*, 31, 32.

et « honorum populi finis » dicebatur [1]. Patribus enim princeps cum anno XXIII de republica reddenda cogitaverit, proposuit « ut consules, seu quis alius » regimen susciperent. Quos quidem honoraturus, ut jam antea relatum est, non eorum qui tribuniciam potestatem gessissent sed consulum nomina ad memoriam temporum publicis privatisve monumentis præscribi voluit; quin etiam, in omnibus quæ Romæ ære publico inscripta sunt (excepto tamen epitaphio suo), nomen Imperatoris nomini Consulis postponi, cum ab Augusto contra antepositum esset [2]. Ipsius consulatus dignitatem augebat, quoniam ipse consulatum gerere et a propinquis suis geri vellet, et sæpe per annum eosdem cives consulatu fungi sineret [3]. Consules autem ne quem defendendum susciperent vetabat, non modo ut in magistratu gerendo incorrupti viderentur, sed ne eorum auctoritas crescente clientium numero ipsa cresceret : qua quidem sententia confitebatur princeps consules in re publica plurimum valere [4].

Suam igitur consulibus speciem cum integram servaret Tiberius, tum cuncta per consules incipiebat non aliter ac vetere republica, ita ut dyarchiæ rationem in eo esse credideris quod Cæsar consules, utpote senatus præsides, tanquam dominationis socios haberet [5]. Tiberius enim consulibus utebatur qui pro se ipso sua proposita ad senatum referrent. Etiam Roma profectus, consulibus ea quæ vellet scribebat, quæ consules postea patribus exponerent [6]. Si qui eligendi erant, consulibus nomina candidatorum Cæsaris edebat [7]. Si qua de causa in curia agebatur, apud consules accusatores reos postulabant. Consules quoque, ut antea, pro senatu ipso jus dicebant si forte senatus eis judicia mandabat, et una cum senatu decernebant. Consules denique

1. Willems, *Droit public romain*, p. 259.
2. Mommsen, *Droit public romain*, t. V, p. 46.
3. Mommsen, *Droit public romain*, t. III, p. 95.
4. Dio Cassius, LVII, 21.
5. Willems, *Droit public romain*, p. 461; Herzog, t. II, p. 832.
6. Tacitus, *Annales*, I, 73; Dio Cassius, LVIII, 21.
7. Tacitus, *Annales*, I, 81.

omnibus solemnibus præsentes aderant, et Tiberius cum palam esset ipse eisdem et adsurgebat et decedebat via [1]. Tanta eorum fuit auctoritas ut legati ex Africa adierint eos, querentes, trahi se a Cæsare, ad quem missi forent [2]. Ergo non miraberis, quamvis sub vitæ fine Tiberius tyrannus evaserit, abrogato a Caio Tiberii successore magistratu, Suetonium hæc dixisse « fuit per triduum sine summa potes- « tate respublica [3] » ; quod omnes hoc tempore censuerunt.

Tiberius quidem curabat ut magistratus sime ira aut studio judicarent, ita tamen ut sua auctoritas lateret. Assidebat in cornu tribunalis ne prætorem curuli depelleret; et magistratibus pro tribunali cognoscentibus plerumque se offerebat consiliarium; et si quem reorum elabi gratia rumor esset, subitus aderat, judicesque aut e plano, aut e quæsitoris tribunali, legum et religionis et noxæ, de qua cognoscerent, admonebat [4]. Sed eum ambitui aut potentium precibus obsistere patres ægre ferebant, quibuscum Tacitus consentiens sic loquitur : « sed dum veritati consulitur, libertas « corrumpebatur [5]. »

Minorum quoque magistratuum exercita potestas [6].

V

Quod ad senatorias provincias pertinet, hic mos Tiberii fuit continuare imperia, ac plerosque ad finem vitæ in iisdem exercitibus aut jurisdictionibus habere [7]. Quibusdam quoque, ut jam antea diximus, mandavit provincias quos egredi Urbe non passus est. Quod, Tacito auctore, « pos- « tremo [8] » tantum evenit; at credendum Tiberium id utique

1. Suetonius, *Tiberius*, 31; Tacitus, *Annales*, III, 2; Dio Cassius, LVII, 11.
2. Suetonius, *Tiberius*, 31.
3. Suetonius, *Caligula*, 26.
4. Tacitus, *Annales*, I, 75; Suetonius, *Tiberius*, 33; Dio Cassius, LVII, 7.
5. Tacitus, *Annales*, I, 75.
6. Tacitus, *Annales*, III, 52; IV, 6, 15, 27, 35.
7. Ibid., I, 80.
8. Ibid., I, 80; VI, 27.

fecisse [1]. Tacitus principem illam rationem assecutum esse arbitratur quod tum rei publicæ utilitati consulebat, tum senatoribus diffidebat [2]. Suetonius quidem Tiberium ita se gessisse censuit propter suspectos senatorum animos [3]. Eadem quoque causa fuit, si Dioni credamus, cur quosdam proconsules plurimis annis in provincias præsse Tiberius statuerit quod, multis a principe proscriptis, pauci superant qui ad provincias administrandas eligerentur [4]. Falsa autem hæc Dionis sententia, nisi de iis dicatur quæ sub fine regni, cum sævus factus est, Tiberius gessit. Verius dixeris Tiberium studuisse ut proconsules provincias bene regerent [5], quas, libera republica, eo ipso tempore relinquebant quo tandem provinciæ necessitatum certiores erant; non tamen dubitari potest quin eos quibus utebatur suspectos haberet. Hoc denique addendum, ut antea dictum est, Tiberium maluisse provincias regendas senatoribus imperitis conferre quos Romæ retineret, quam eosdem negando provincias irritare : e quibus intellexeris Tiberium, ut solitum, incerta et ambigua ratione publicam utilitatem cum senatui ordinis dignitate conjungere voluisse.

Tiberius, quod ex supra dictis compertum est, ad senatum detulit unum ex suis procuratoribus qui in senatoria quadam provincia proconsulis jura læserat. « Ex senatusconsulto et « ex auctoritate Tiberii Cæsaris » erant legati quos proconsules sibi adjungebant [6]. Ad senatum deferebantur proconsules qui imperio suo abusi erant. Si forte Tiberium ab urbe aut provincia quadam legati invisebant, in consilium eos adhibebat qui quondam provinciam rexerant [7], ita ut senatus et proconsules de provincialibus rebus decernere provincialibus viderentur. Achaïa quidem et Macedonia rogabant ut Cæsari traderentur : legati contra ex Africa consules

1. Tacitus, *Annales,* I, 80; Dio Cassius, LVIII, 23; *C. I. L.,* III, 2974.
2. Tacitus, *Annales,* I, 80.
3. Suetonius, *Tiberius,* 63.
4. Dio Cassius, LVIII, 23.
5. Schiller, *op. cit.,* t. I, p. 285.
6. *C. I. L.* V, 4348.
7. Dio Cassius, LVII, 17.

adibant querentes se trahi a Cæsare ad quem missi forent. Mommsen etiam nomen senatus juxta Cæsaris nomen in nummis senatoriarum provinciarum inscriptum esse, et municipum vota senatum et principem simul diis commendare docet [1]. Provinciales igitur dyarchiam non fictam sed institutam re vera crediderunt.

Tiberius autem senatoriis provinciis consulebat : sæpius, ut exemplo utar, proconsules cogendo ut in provincias derelicta Roma quam brevissime proficiscerentur, et provinciarum vetera onera sine avaritia aut crudelitate magistratuum exigerentur [2]. Omnes quoque proconsules a quibus provinciæ pecunias petebant Tiberius postulabat ad senatum, et, ut postea Domitianus atque Trajanus, nimio studio senatorum pro senatore reo obstare conabatur [3]. Velleius itaque Tiberium laudat quod ab injuriis magistratuum vindicaverit provincias, quod ipse Tacitus fatetur [4]. Nonne præterea illæ repetundarum causæ declarant quam flagitiosi fuerint proconsules [5]? In Italia etiam quam senatus et magistratus ipsi administrabant, Tacitus testatur magnam fuisse incuriam magistratuum [6]. Unde sequitur senatum Tiberio iratum esse, quod tanta severitate princeps senatores reos postularet qui a senatu ipso mulctarentur; Tiberium quidem, quamvis certas provincias senatui mandaverit, certiorem tandem factum quam regendæ reipublicæ patres impares essent, paulatim invitum in provincias senatorias irrepsisse, in quibus plura in diem, prout occasio ferret, munia suis ministris mandaret [7]. Tiberius itaque cujus ad voluntatem dyarchia non succedebat ad id cogebatur ut monarchiam invitus et paulatim constitueret.

1. Mommsen, *Droit public romain*, t. VII, pp. 494-495.
2. Tacitus, *Annales*, IV, 6.
3. Ibid., III, 38; Velleius, II, 126; Suetonius, *Domitianus*, 8; Mommsen, *Droit public romain*, t. III, p. 294; Duruy, *Histoire romaine*, t. III, p. 487 note; Schiller, *op. cit.*, t. I, p. 286; Abraham, *Tiberius und Sejan*, p. 12.
4. Tacitus, *Annales*, III, 38; Velleius, II, 126.
5. Duruy, *Histoire romaine*, t. III, p. 451, note 3.
6. Tacitus, *Annales*, III, 31.
7. Vide Hirschfeld, *op. cit.* passim.

VI

In iis ipsis quæ principis erant, Tiberius studebat ut dyarchiæ ratio constaret. Cum principis concilium nulla lege institutum et definitum esset [1], atque senatus tum Tiberii voluntate quam plurimum valeret tum more majorum in concilium summi magistratus, scilicet principis, adhiberetur, secundarum partium esse concilium principis credideris. Ceterum, in hoc concilio senatores præcipue adsciti erant. Tiberius enim Augustum mortuum laudavit quod in concilium principis senatores introire voluerit [2], et ipse in concilium suum viginti e numero principum civitatis super amicos ac familiares induxit [3]. Inter quos tamen Sejanus eques numerandus est, et alii fortasse ejusdem ordinis cum inscriptione quadam memoretur unum equitum inter amicos principis ex prima admissione fuisse [4]. Hæc autem raro evenisse crediderim. Eos qui principis nomine magnis officiis fungebantur inter senatores cooptari solere jam diximus, ceteros vero inter equites, hoc quidem tempore nullus inter eos fuit libertus. Quos omnes pro rerum privatarum principis, hoc est principis civium, ministris habitos esse, et magistratibus et proconsulibus inferiores e superius dictis compertum est [5]. Simul assumpti tenebantur, prorsus sine modo, cum plerique iisdem negotiis insenescerent [6]. Quæ quidem continua potestas, ejus præsertim qui præfectus Urbi propter Tiberii a Roma discessum auctoritatem sine ulla interruptione detinuit, optimatibus gravis visa est [7]. Non autem ea Tiberii mens erat ut, hac ratione,

1. Hirschfeld, *op. cit.*, p. 213.
2. Dio Cassius, LVI, 41.
3. Suetonius, *Tiberius*, 55.
4. Ibid.; *C. I. L.*, VI, 2169. Cf. Domitianum apud Gsell, *op.. cit.* p. 62-63.
5. Vide etiam Duruy, *Histoire romaine*, t. III, p. 221.
6. Tacitus, *Annales*, IV, 6.
7. Tacitus, *Annales*, VI, 10. L. Calpurnius Piso Frugi præfectus Urbi, XIV-XXXII, post JChr.; L. Aelius Sejanus, præfectus prætorio, XIV-XXXI;

quid in principatu incivile esset manifestum faceret, cum, adversante Mommsen, proconsules tamdiu in senatoriis quamdiu principis ministros in imperatoriis provinciis manere dixerimus [1].

Tiberius etiam, tanquam magistratus, in curuli sella sedens, ipse in foro jus dicebat [2].

VII

Tiberius vero civilem ac paullo minus quam privatum agebat. Rari per Italiam Cæsaris agri, modesta servitia, intra paucos libertos domus; ac si quando cum privatis disceptaret, forum et jus [3]. In omnibus optimatum fautorem se præstabat, ita ut jura equitum, si Plinio credendum est, ingenuis tantum concesserit [4]. Quod et lex Visellia de qua jam disseruimus testatur. Unde patet senatum, ante omnes, Tiberio cordi esse, deinde equites quos, etsi principis officia gerebant, senatus majestati cedere, sicut ipsum principem Tiberius admonebat [5]. Populo quidem minime favens, hoc tantum cavet princeps ne seditio moveatur [6]. Nec jam in populo sed in « senatu populoque Romano » summa imperii sita est, nempe Tacitus semel tantum narrat Tiberium de populi concione locutum esse [7]; raræ autem leges, raræ pecuniæ largitiones aut congiaria.

C. Turranius, præfectus annonæ, XVI-XXXVII. Cf. Mæcenatis verba apud Dionem (LII, 24).

1. Mommsen, *Droit public romain*, t. V, p. 143; cf. Tacitum, *Annales*, I, 80; Dionem Cassium, LVIII, 23; *C. I. L.*, III, 2974.

2. Dio Cassius, LVII, 7. Cf. Domitianum apud Gsell, p. 88.

3. Suetonius, *Tiberius*, 26; Tacitus, *Annales*, IV, 6; Dio Cassius, LVII, 11; Friedlænder, *op. cit.*, t. I, p. 52, 58, 72.

4. Plinius, *Hist. nat.*, XXXIII, 28.

5. Velleius, II, 126: « Suscipit potentem humilis, non timet; antecedit, « non contemnit humiliorem potens »; Abraham, *Tiberius und Sejan*, p. 12. Animadvertendum est Suetonium equitem, cum indulgeat Augusto et Claudio Domitianoque utpote equestri ordini faventibus, in Tiberium contra severum se præstitisse (Vide : Macé, *Essai sur Suétone*, p. 33).

6. Plinius, *Hist. nat.*, XXXIV, 8.

7. Tacitus, *Annales*, IV, 40.

Ne ludis quidem theatri propenso animo adest Cæsar populo sicut Augustus blanditurus [1].

Hæc sunt Velleii verba, reipublicæ partes quibus modis ad eam diem habitæ sint recensentis « revocata in forum « fides, summota e foro seditio, ambitio campo, discordia « curia, sepultæque ac situ obsitæ justitia, æquitas, indus- « tria civitati redditæ, accessit militibus auctoritas, senatui « majestas, judiciis gravitas, compressa theatralis seditio, « recta faciendi omnibus aut incussa voluntas aut imposita « necessitas ; honorantur recta, prava puniuntur, suscipit « potentem humilis, non timet, antecedit non contemnit « humiliorem potens... Honor dignis paratissimus, pœna in « malos sera, sed aliqua : superatur æquitate gratia, ambi- « tio virtute ». Quas virtutes, libera republica et optimatibus in civitate præpollentibus, viguisse vulgabatur. Quarum causam esse apud Tiberium Velleius his verbis dixit « nam facere recte cives suos princeps optimus faciendo « docet, cumque sit imperio maximus, exemplo major est [2]. »

Vere quidem dixit Velleius. Attamen optimates Tiberii voluntatem in malam partem acceperunt, ita ut illa Tiberii agendi ratio in diem mutata et in deterius versa fuerit.

1. Suetonius, *Tiberius*, 54; Tacitus, *Annales*, II, 42; III, 29 ; IV, 4; Dio Cassius, LVII, 11.

2. Velleius, II, 126. Cf. Abraham, *Tiberius und Sejan*, pp. 12-14 ; Boissier, *op. cit.*, p. 94.

CAPUT SEPTIMUM

Qua ratione Tiberius usque ad finem vitæ a Roma et a republica semotus, labores cum senatu sociare non jam studuerit.

Anno XXVI Tiberius primum adesse frequens senatui, deinde, diu meditato prolatoque sæpius consilio, secessum Campaniæ petiit [1]. Anno XXVII Capreas in insulam se abdidit [2].

Se tamen a Roma discedere velle non nuntiavit, et specie dedicandi templa profectus est [3]. Nec in mente habuisse videtur a Roma semper abesse. Imo sæpius pollicitus est se Romam rediturum esse, et semel usque ad Urbis portas accessit [4]. Cur autem secessum decreverit dubium est. Historici quidam eum tunc a Roma profectum esse narrant quod majorem Germanici filium principis paulatim vices gerere, ut quondam Drusum filium, voluisset, et Agrippinam fugere gestivisset [5]. Traditur etiam matris impotentia extrusum, quam dominationis sociam aspernabatur neque depellere poterat [6]. Tiberius præterea orbatus utroque filio [7]. In senectute quoque corporis habitus pudori fuit principi, et Rhodi secreto vitare cœtus, recondere voluptates insuerat [8] : etenim edicto monuit ne quis quietem ejus irrum-

1. Tacitus, *Annales*, IV, 55, 56, 57.
2. Ibid., IV, 67.
3. Ibid., IV, 57.
4. Dio Cassius, LVIII, 1; Tacitus, *Annales*, VI, 39.
5. Schiller, t. I, p. 297; Tacitus, *Annales*, IV, 40; Stahr, *op. cit.*, p. 189.
6. Tacitus, *Annales*, IV, 57; Suetonius, *Tiberius*, 51; Dio Cassius, LVII, 12.
7. Suetonius, *Tiberius*, 39.
8. Tacitus, *Annales*, IV, 57.

peret [1]. Nec dubitandum eum quin majore otio indigeret, cum jam abhinc tres annos de reddenda republica cogitavisset. Nam tum in eo erat ut rem publicam minime curaret et Sejano administrandam traderet [2]. Eum quoque tædebat communiter cum senatu rem Romanam regere, et senatoribus tum adulantibus tum invidentibus interesse [3]. Cum etiam litteris cum senatu, dum abesset, communicaret, patres cogebat ut statim et plane parerent, aut palam resisterent [4]. Fortasse quoque credideris Sejanum suæ ambitioni consulentem Tiberio consilium dedisse ut Roma discederet [5]. Ego autem puto principem, sicut antea cum primum Roma provectus est, nunc quoque hominum congressus fugere et odisse.

Quidquid est, absente nec redituro Tiberio, senatus et principis consortio, jam nuper in discrimine, magis ac magis lapsura erat.

Specie quidem senatus auctoritas crevit. Etenim cum Tiberius perpaucos concilii participes secum Capreas adduceret, principis concilium numero maxime minutum fuit, ita ut omnia per senatusconsulta gesta fuerint [6]. Tiberius præterea reipublicæ curam usque adeo abjecit, « ut postea « non decurias equitum unquam suppleril ; non tribunos « militum præfectosque, non provinciarum præsides ullos « mutaverit ; Hispaniam et Syriam per aliquot annos sine « consularibus legatis habuerit ; Armeniam a Parthis occu« pari, Mœsiam a Dacis Sarmatisque, Gallias a Germanis « vastari neglexerit ; magno dedecore imperii, nec minori « discrimine. [7] »

Tiberius autem, cum magistratibus diffideret, consulatum

1. Tacitus, *Annales*, IV, 67 ; Suetonius, *Tiberius*, 40.
2. Vide infra.
3. Hirschfeld, *op. cit.*, pp. 285-286 ; Stahr, *op. cit.*, p. 189.
4. Abraham, *Tiberius und Sejan*, pp. 15-16.
5. Tacitus, *Annales*, IV, 41, 57 ; Schiller, t. I, p. 297.
6. Tacitus, *Annales*, IV, 58 ; VI, 26 ; Suetonius, *Tiberius*, 55 ; Stahr, *op. cit.*, p. 195 ; Schiller, *op. cit.*, t. I, pp. 297, 302 ; Mommsen, *Droit public romain*, t. VII, pp. 468, 497 ; Duruy, *Histoire romaine*, t. III, p. 418.
7. Suetonius, *Tiberius*, 41.

in annum geri raro passus est [1]. Absente quidem principe nec jam imperium propterea curante, non senatus sed L. Calpurnii Pisonis præfecti Urbi et L. Aelii Sejani auctoritas aucta est, quorum alter potestate « incivili », alter auxilio militum valebat [2]. Præfecti Urbi potestas continua demum facta est, ita ut Vigneaux me rito dixerit : « l'acte « de naissance de la préfecture devrait être signé de Tibère, « et daté du départ pour Caprée. [3] »

Quid jam Sejanus tentaverit nobis compertum est. Ille ætate vigens et prætoriis cohortibus nixus Pisonem superat; ejus præsidio eo magis Tiberius indiget quod legiones Germanici filiis maxime favent [4]. Ita ut Sejanus vices principis agere revera dici possit, quippe quem primores civitatis et ipsi consules quotidie salutent, apud eum de omnibus privatis et publicis negotiis referentes [5]. Piso contra continuam potestatem et insolentia parendi graviorem mire temperavit. Sejanus igitur pro Tiberio labores cum senatu sociat, minus tamen quam Tiberius cavet ne militibus niti videatur quanquam senatores pariter atque prætorianos ambire studet. Adde quod jam inde principis libertos majore auctoritate in re publica valere cœperint, cum, mortuo Sejano, liberto cuidam Aegyptus ad tempus regenda mandata fuerit, quod maximi momenti habendum est quamvis Aegyptus magis quam ceteræ imperatoris provinciæ res Tiberii propria dici possit [6]. Dyarchia igitur quasi monarchia facta est, quæ militibus freta esset; Tiberium quoque cum iis in Asia regnantibus tyrannis contuleris, qui, cum ipsi omnia possent, regni regendi onus in ministrum quemdam reclinant.

1. Dio Cassius, LVIII, 20; Mommsen, *Droit public romain*, t. III, p. 95.
2. Stahr, *op. cit.*, p. 195; Tacitus, *Annales*, VI, 10, 11; Mommsen, *Droit public romain*, t. V, p. 332; Schiller, *op. cit.*, t. I, p. 255.
3. *Étude sur l'histoire de la Præfectura Urbis à Rome.* Paris, 1896, in-8°.
4. Flavius Josephus, *De antiquitatibus Judaicis*, XVIII, 6, 3.
5. Tacitus, *Annales*, IV, 2; Dio Cassius, LVII, 21; Hirschfeld, *op. cit.*, pp. 285-286.
6. Dio Cassius, LVIII, 19; Friedländer, *op. cit.*, t. I, p. 72.

II

Nec tamen Tiberius totam rei publicæ curam abjecit. Magna etiam auctoritate valuit ab anno XXVII usque ad annum XXXI. Anno enim XXVII, deusto monte Cœlio, Cæsar pecunias ex modo detrimenti tribuit, et, cum cunctis circum flagrantibus sola Tiberii effigies sita in domo Junii senatoris inviolata mansisset, vulgatum est « sanctos acceptosque « numinibus Claudios [1] ». Sed Agrippinæ et Neroni filio insidiæ crebriores occulto paratæ sunt [2], et plures in diem rei postulati : anno XXVII Claudia Pulchra, Agrippinæ cognata, anno XXVIII Titius Sabinus eques illuster, ob amicitiam Germanici, qui ipsa die mulctatus est qua in carcerem conjectus erat, cum senatusconsultum, Tiberio rogante latum, id vetaret [3]. Senatores vero, ut de Sejano bene mererent, quæ Sabinus ageret aut diceret odiose exploraverunt [4]. Secutæ insuper litteræ principis..... qui adjecit « trepidam sibi vitam, suspectas inimicorum insidias, nullo « nominatim compellato : neque tamen dubitabatur in Nero- « nem et Agrippinam intendi. » Cum censuit Asinius Gallus petendum a principe ut metus suos senatui fateretur amoverique sineret, Tiberius « eo ægrius accepit recludi quæ « premeret [5]. » Eodem anno Frisonum seditione mota, damna dissimulavit Cæsar « ne cui bellum permitteret », id est ne cui senatorii ordinis milites in prælium ducendos mandaret [6].

Anno XXIX, Livia mortua, Tiberius propinquorum auxilio et consiliis orbatus propterea omnibus magis etiam quam antea diffisus est. « Incolumi Augusta erat adhuc perfugium, « quia Tiberio inveteratum erga matrem obsequium, neque

1. Tacitus, *Annales*, IV, 64.
2. Ibid., IV, 52, 53, 54, 59, 60, 67; Suetonius, *Tiberius*, 55.
3. Tacitus, *Annales*, IV, 52, 68, 69, 70; Dio Cassius, LVIII, 1.
4. Tacitus, *Annales*, IV, 68, 69; Dio Cassius, LVIII, 1.
5. Tacitus, *Annales*, IV, 70, 71.
6. Ibid., IV, 74.

« Sejanus audebat auctoritati parentis antire [1]. » Quod senatoribus Liviæ fautoribus præsertim profuisse crediderim. Quos forsan admoniturus ne jam a principe tutos fore sperarent, aut quod plures in diem suspectos habuerit, Tiberius quæ in Liviæ memoriam a senatu decreta erant abnuit [2].

Paulo post matris mortem, Tiberius Juliorum partes fregit. Missæ in Agrippinam ac Neronem ad senatum litteræ. Ceterum « Tiberius etsi infense invectus, cetera ambigua « reliquerat », ut solitus. « Magno senatus pavore ac si- « lentio, quibusdam a primoribus maximeque a magistra- « tibus trepidabatur. Fuit in senatu Junius Rusticus, compo- « nendis patrum actis delectus a Cæsare, eoque meditationes « ejus introspicere creditus. Is....... inserere se dubitantibus « ac monere consules ne relationem inciperent. Dissere- « batque brevibus momentibus summa verti « posse quan- « doque domus Germanici exitium pœnitentiæ esse seni [3]. » Ambigitur autem an Agrippina et Nero revera conjuraverint. Eos certe vulgatum est ad Germanicianum exercitum confugere voluisse [4]. Quidquid est, Taciti verbis manifestum est senatores, ne Julii frangerentur, seditionem meditatos esse, inter quos ipse Tiberii consiliorum particeps Junius Rusticus numerabatur. Senatu autem in fortitudine haud perseverante, Agrippina Neroque exilio mulctati sunt [5]. Quare Tiberius tandem omnium dominus esse videretur. Ipsius autem Tiberii tum demum dominus fuit Sejanus.

III

Anno XXXI, Sejanum in summo imperio pæne esse crediderís, prætorianis cohortibus nixum, senatoribus sibi

1. Tacitus, *Annales,* V, 2, 3.
2. Ibid., V, 2.
3. Tacitus, *Annales*, V, 4, 5.
4. Suetonius, *Tiberius,* 53 ; Stahr, pp. 160, 165-166, 206-207, 208 ; Abraham, *Tiberius und Sejan*, p. 16-17.
5. Tacitus, *Annales*, V, 5 ; Suetonius, *Tiberius*, 53, 54 ; Stahr, Abraham, *op.* et *loc. cit. supra.*

partim conciliatis, partim territis si forte Juliorum erant, partim si sibi ipsi favebant præcipuos magistratus obtinentibus [1]. Hoc ipso tempore, Sejanus a Tiberio eversus cecidit. Quod princeps, tum senatu, tum magistratibus et militibus adjuvantibus, fecit. Nempe in curia Juliorum fautores, veteres inimicos, sibi adscivit cum Caium, tertium Germanici filium, sacerdotem nominaret; alterum consulem alteri opposuit Sejani clienti et prætorianis cohortibus vigiles, qui cum ex servis aut libertis collecti essent, tenuissime æstimati prætorii militibus invidebant et in re publica valere cupiebant. Ipsis denique prætorianis loco Sejani Nævium Sertorium Macronem præfecit [2]. Lectis Tiberii ad senatum litteris, alii senatores ad Juliorum fautores adversus Sejanum accesserunt, alii autem reclamare non ausi sunt; ita ut reum in carcerem conjici jusserint [3]. Ex eo quod Sejanus hoc modo eversus fuerit intelligi potest Mommsen, cum dixerit principatum in dyarchia consistere, non satis accurate qualis fuerit imperii regendi ratio explanavisse. Etenim Sejanum concidentem contuleris cum factionis principe a quo concilium qui rempublicam gerit defecerit; Sejanum quoque nobili cuidam non dissimilem fuisse dixeris qui in civitate optimatibus nixa genti præfuerit ab aliis gentibus oppressa, aut ei qui, militum auxilio imperio potitus, ab alio militum duce devictus imperio ceciderit, aut Asiatici tyranni ministro qui, postquam domini vices gesserit, occultis insidiis tandem succubuerit. Quæ quidem omnia in principatus ratione animadvertere licet.

Sed, quod majoris momenti est, senatus et magistratus in hac re admodum imbecilles adversus prætorianos se præstiterunt. Sejano enim in carcerem condito, senatus, tum demum cum prætoriæ cohortes abessent, pristinum earum ducem mulctavit [4]. Prætorium etiam iratum quod vigiles sibi anteponerentur et Sejanus mortuus esset, Urbem prædatione et incendio vastat, quod magistratus cohibere

1. Dio Cassius, LVIII, 4, 5, 6; Suetonius, *Tiberius*, 65.
2. Dio Cassius, LVIII, 8, 9, 10; Suetonius, *Tiberius*, 65.
3. Dio Cassius, LVIII, 10, 11.
4. Dio Cassius LVIII, 11.

nequeunt quibus tamen cunctis Tiberius urbem custodiendam mandaverat [1]. Itaque, quamvis dux prætorii ceciderit, prætorium sola vis integra permansit. Quod Tiberius intelligens singula millia denariorum prætorianis militibus dedit, quoniam Sejano se non accommodassent [2].

II

Tiberio tum compertum est non modo ab eo cui publica negotia et acta senatorum exploranda mandaverat se proditum esse, sed etiam ab eodem Drusum occisum esse. Nunc igitur solus Cæsar superest ab invidentibus circumdatus, et Caio, Juliorum uno quem ad vitia propensum esse jam suspicatur, et Tiberio Drusi filio naturali in hereditatem successuris [3]. « Auxit intenditque sævitiam, exacerbatus « indicio de morte filii sui Drusi. » Imo plane demens factus, pariter Sejani et Juliorum fautores prosecutus est; Agrippinam, ambos quoque majores filios Agrippinæ morte mulctavit [4]. Tum semetipse pertæsus, ad senatum litteras missus est quarum tale principium erat. « Quid scribam « vobis, patres conscripti, aut quo modo scribam, aut quid « omnino non scribam hoc tempore, dî me deæque pejus « perdant quam perire me quotidie sentio, si scio [5]. » Attamen Schiller et Schott probaverunt Tacitum et Suetonium et Dionem Tiberii sævitiam majorem quam revera fuit finxisse [6].

Illius quidem in senatum et optimates furor omnibus modis

1. Dio Cassius, LVIII, 12.
2. Suetonius, *Tiberius*, 48; Dio Cassius, LVIII, 18.
3. Suetonius, *Caligula*, 11; Suetonius, *Tiberius*, 55; Dio Cassius, LVIII, 23.
4. Suetonius, *Tiberius*, 61, 62.
5. Tacitus, *Annales*, VI, 6; Suetonius, *Tiberius*, 67. Cf. Suetonium, *Tiberius*, 63, 66; Dio Cassius LVII, 23; Boissier, *op. cit.*, p. 189; Schiller, *op. cit.*, t. I, p. 251. Cf. Dionem Cassium, LVIII, 3; Tacitum, *Annales*, VI, 3, 7, 9, 10, 18, 19, 24, 29, 30, 47, 48; Suetonium, *Tiberius*, 53, 54.
6. Schiller, *op. cit.* t. I, p. 302; Schott, *Die Kriminaljustiz unter k. Tiberius*, Erlangen, 1893; Stahr, p. 234. Cf. Dionem Cassium, LVIII, 19.

patefacta est. Anno XXXIII, Juliam Drusi filiam, quondam Neronis uxorem, denupsit in domum Rubellii Blandi, cujus avum Tiburtum equitem Romanum plerique meminerant, quod Taciti, tanquam nobilis viri, iram movet[1]. Anno XXXII, « Julium Gallionem, qui censuerat ut prætoriani actis « stipendiis jus adipiscerentur in quatuordecim ordinibus « sedendi, violenter increpuit Tiberius, velut coram rogitans « quid illi cum militibus quos neque dicta nisi imperatoris « neque præmia nisi ab imperatore accipere par esset..... « An discordiam et seditionem a satellite Sejani quæsitam, « qua rudes animos nomine honoris ad corrumpendum mi- « litiæ morem propelleret ». Gallio vero exilio mulctatus est, cujus pœnæ, Dione auctore, hæc causa fuit « σφᾶς (τοὺς δορυ- φόρους) ἀναπείθειν ἐδόκει τῷ κοινῷ μᾶλλον ἢ ἑαυτῷ εὐνοεῖν »[2]. Quod si memineris principatus initio Tiberium patribus declaravisse milites reipublicæ non principis esse, quod frequentius agendo ipse testatus erat, clare perspexeris quam contrarie Tiberius tunc se gesserit.

Sed cum, mortuo Sejano, exoptaret Cæsar ut Macro præfectus tribunorumque et centurionum pauci secum introirent, quoties curiam ingrederetur, illud a senatu postulavit quod adversus senatum destinabat, atque deinde senatusconsulto quod patres tulerunt haud usus est[3]. Eo anno quo Gallionis relationem indignabatur, cum Togonius Gallus eum oraret deligere senatores ex quis viginti sorte ducti et ferro accincti, quoties curiam inisset, salutem ejus defenderent, princeps irridens abnuit[4]. Hoc profecto adulationis causa non ex animo senatores proposuisse suspicatus est, atque senatoribus diffidebat quibus principis præsidium mandaretur; attamen non dubitari potest quominus Tiberius, qui nunquam in curiam nisi solus intravit, solitam erga senatum reverentiam sic ostendere voluerit.

1. Tacitus, *Annales*, VI, 15, 27.
2. Tacitus, *Annales*, VI, 3; Dio Cassius, LVIII, 18.
3. Tacitus, *Annales*, VI, 15; Dio Cassius, LVIII, 18; Mommsen, *Droit public romain*, t. VII, pp. 86-87.
4. Tacitus, *Annales*, VI, 2.

Hoc quoque animadverteris Tiberium, etiam tum significavisse se una cum senatu rem publicam regere velle.

Cornelio Cosso quidem, Aelii Lamiæ successori qui ipse tanquam præfectus Urbi Pisoni successerat, princeps « multa « sua manu scripsit quæ committenda ne ministris quidem « suis judicabat [1] ». Consules anni XXXIV τὴν δεκετηρίδα τὴν δευτέραν ἑώρτασαν, ὡς καὶ τὴν ἡγεμονίαν αὖθις αὐτῷ κατὰ τὸν Αὔγουστον διδόντες καὶ ἐκολάζοντο [2]. Attamen in curia Cæsar amicos Sejani reos postulavit. Quod eum fecisse fatendum est ut harum pœnarum invidiam in patres rejiceret [3], sed etiam, more suo, ut potestatem propriam quam minime exerceret quæ senatus et magistratuum potestati cedere videretur. Anno XXXII, gravitate annonæ juxta seditionem ventum. Tiberius propterea incusavit magistratus patresque quod non publica auctoritate populum coercuissent. Ita castigandæ plebi compositum senatusconsultum prisca severitate neque segnius consules edixere. Tacitus autem ait silentium Tiberii Tiberium ipsum civile credidisse [4].

Anno XXXIII, quamvis Tiberius delatoribus multum usus sit, « magna vis accusatorum in eos irrupit qui pecunias « fenore auctitabant. Gracchus prætor, cui ea quæstio eve- « nerat, multitudine periclitantium subactus, retulit ad sena- « tum, trepidique patres (neque enim quisquam tali culpa « vacuus) veniam a principe petivere ». Tunc etiam cum senatores et magistratus ab officio suo desisterent, senatorum in reos studium patebat quos mulctare debuissent. Tiberius enim intervenit : ne senatorum opes citius dirimerentur, ut more majorum Italicæ terræ patres defixi hærerent, senatusconsultum ferri jussit quo cogerentur duas quisque fenoris partes in agris per Italiam collocare. Patribus autem festinantibus agros emere et debitoribus in solidum appellantibus ita ut pecunia rara fieret, tulit opem Cæsar « disposito per mensas millies sestertio factaque

1. Seneca, *Epistola ad Lucilium*, LXXXIII; Dio Cassius, LVIII, 19; Tacitus, *Annales*, VI, 27.

2. Dio Cassius, LVIII, 24.

3. Dio Cassius, LVIII, 16.

4. Tacitus, *Annales*, VI, 13.

« mutuandi copia sine usuris per triennium si debitor po-« pulo in duplum prædiis cavisset. Sic refecta fides, et pau-« latim privati quoque creditores reperti [1]. »

Anno XXXVI, consularem Galbam inter eos esse quorum morti Tiberius causa fuit Tacitus refert, « tristibus « Cæsaris litteris provinciam sortiri prohibitum ». Suetonius autem narrat Galbam rem dissipatam se in Africam restiturum speravisse, a quo Tiberius Africam provinciam vindicare voluerit [2]. « Idem annus gravi igne Urbem affecit, « quod damnum Cæsar ad gloriam vertit, exsolutis domuum « et insularum pretiis. Millies sestertium in munificentia « ea collocatum [3]. » Sed non fieri poterat ut optimates, antea jam Tiberio infensi, nunc ejus sævitiam indignantes, principi conciliarentur. Supremus nempe Tiberii amicus M. Cocceius Nerva « moriendi consilium cepit quanto pro-« pius mala reipublicæ videbat, ira et metu, dum integer, « dum intentatus, honestum finem voluit [4]. » Tiberii autem, cum senatui « offensiones ob rem publicam captas » exprobraret [5], major in diem ira crescebat. Ipsi quidem delatores Tiberium irridebant, cum eorum unus sic de inimicis suis loqueretur : « illos quidem senatus, me autem tuebitur Tibe-« riolus meus [6] ».

Dyarchiæ igitur tum senatus et principis odium obstabat, tum formido patrum a magistratibus aut imperatoris officiis desistentium, in quibus exercendis maximis periculis obnoxii erant : anno XXXIII « recitantur Cæsaris « litteræ, quis incusabat egregium quemque et regendis « exercitibus idoneum abnuere id munus, seque ea neces-« situdine ad preces cogi, per quas consularium aliqui « capessere provincias adigerentur [7] ». Qui inter senatores nondum verecundiam omnem deposuerant Tiberio profite-

1. Tacitus, *Annales*, VI, 16, 17; Schiller, *op. cit.*, t. I, p. 287.
2. Tacitus, *Annales*, VI, 40; Suetonius, *Galba*, 3.
3. Tacitus, *Annales*, VI, 45.
4. Ibid., VI, 26.
5. Ibid., VI, 15.
6. Ibid., VI, 5.
7. Tacitus, *Annales*, VI, 27. Cf. senatusconsultum Persicianum apud Schiller, t. I, p. 289.

bantur : « Tibi summum rerum judicium di dedere, nobis « obsequii gloria relicta est...... Abditos principis sensus, « et si quid occultius parat, exquirere illicitum, anceps; nec « ideo assequare [1] ».

Sed Tiberio, qui Romæ senatum frangebat, senatores exercitibus imperantes non jam parere videbantur. Fama enim fuit anno XXXIV Lentulum Gætulicum qui superioris Germaniæ legiones curabat ausum esse mittere ad Cæsarem litteras « affinitatem sibi cum Sejano haud sponte, « sed consilio Tiberii captam ; perinde se quam Tiberium « falli potuisse, neque errorem eumdem illi sine fraude, « aliis exitio habendum. Sibi fidem integram et, si nullis « indiciis peteretur, mansuram ; successorem non aliter « quam indicium mortis accepturum. Firmarent velut fœ-« dus, quo princeps ceterarum rerum potiretur, ipse provin-« ciam retineret [2] ». Quin etiam, sub fine regni, Tiberius, tamdiu obstantes patres et eos qui in curia Juliis favebant evertere conatus, tamdiu exercituum in Julios studium reformidans, iterum senatum sibi obstare expertus est : cum in actis senatus legisset « dimissos ac ne auditos « quidem quosdam reos » de quibus strictim, et nihil aliud quam nominatos ab indice scripserat ; pro contempto se habitum fremens, repetere Capreas quoquo modo destinavit [3] ; Caium etiam, Juliorum ultimum, sibi successorem futurum esse providit, omisso nepote suo Tiberio quem ad successionem imperii confirmare vellet ; eo ipso tempore omnes exercitus Caio favebant [4].

Tiberio morienti nihilominus dyarchiæ rationem constare manifestum fuit, cum non publicarum sed privatarum rerum heredes instituerit, Caium et Tiberium scilicet, sicut eum Augustus [5]. Quod fieri voluit ne jus principis eligendi

1. Tacitus, *Annales*, VI, 8.
2. Tacitus, *Annales*, VI, 30.
3. Suetonius, *Tiberius*, 72.
4. Suetonius, *Tiberius*, 55; *Caligula*, 11, 12; Flavius Josephus, *De antiquitatibus judaïcis*, XVIII, 8, 9.
5. Tacitus, *Annales*, VI, 46; Mommsen, *Droit public romain*, t. V, p. 448, note 4. Cf. Titum Vespasianum apud Gsell, *op. cit.*, p. 27.

quod, exemplum Augusti secutus, senatui concesserat, antequam hoc jus patres exercere possent minuere videretur [1].

Tiberius a Macrone forsan occisus fuerit, qui illis prætorianis cohortibus præerat quibus princeps senatui obstiturus nitebatur [2]. Tiberium etiam mortuum senatus devicit cujus gesta non rata habuerit [3].

1. Vide Herzog, *op. cit.*, t. II, p. 259.
2. Suetonius, *Tiberius*, 72; Tacitus, *Annales*, VI, 50.
3. Dio Cassius, LIX, 1 ; LX, 4.

CAPUT OCTAVUM

DE SOCIETATE PRINCIPIS ET SENATUS IN SINGULA QUAQUE RE TRACTANDA, PER POSTREMOS DECEM PRINCIPATUS ANNOS.

Cum per postremos decem annos principatus, Tiberius et senatus labores minus minusque sociaverint[1], haud miraberis singula quæque rei Romanæ perspicienti dyarchiæ rationem obscuriorem fore. Ut antea quidem res geri videntur. Raro autem et tanquam subito Tiberius quod ad rem publicam attinet curat; senatus vero quam minime sua sponte agere conatur ne principis iram moveat.

De senatu, hoc in animo Tiberius habet ut acta et dicta senatorum exploret et inimicos mulctet. Anno XXXVII, patres nonnulli albo senatorio a senatu erasi sunt[2]. Tunc novum principis officium notamus, quæstorii scilicet qui, componendis patrum actis delectus est a Cæsare, atque hoc ipso meditationes Tiberii introspicere creditur[3]. Cum senatores in curia rei postulantur, delatores libellos ad Tiberium mittunt, hic rursus senatui cum litteris quibus ultionem haud obscure poscit. Incepta autem actione, Tiberius senatum eorum certiorem facit quæ in tormentis rei confessi sunt, ita ut senatoribus pæna dicenda tantum supersit. Dicta autem sententia, sequuntur litteræ principis grates agentis. Sæpius reus, accusatoribus instantibus, imperatorem provocabat, nec multo post litteræ afferebantur quibus Tiberius sententiam suam exprimebat et simul postulabat

1. Suetonius, *Tiberius*, 41; Schiller, t. I, pp. 291, 302.
2. Tacitus, *Annales*, VI, 48.
3. Ibid., V, 4. Vide etiam Macé, *Essai sur Suétone*, p. 195.

ut senatus principis sententiæ obsequeretur. Sæpius quoque Cæsar reorum causam, ut ipse cum senatu nosceret, differebat. Sæpius in eadem causa quidam reorum apud senatum, quidam apud principem ad mortem aguntur [1]. Patet itaque principem senatus jurisdictione uti voluisse, sed ipsum tamen judiciis senatus manifestius in diem, non oblique ut antea, intervenisse.

Quod ad ferendas leges attinet, nobis compertum est pæne nullum jam esse concilium principis, ita ut senatus auctoritas cresceret nisi principi in odio esset. Referente quidem principe, nonnulla senatus consulta ferebantur. Sæpius senatusconsultum mutari rogabat Tiberius et ut mutaretur impetrabat [2]. Ut omnia breviter dicam, quidquid ad leges spectat senatorum officii erat.

Magistratus munera et jura sua servare videntur. Tiberius autem , ut antea dictum est, consulum in annum nominatorum numerum minuit. Consulibus tamen, si cum senatu agere velit, semper utitur : nempe consules epistolas ab eo ad senatum missas legere solent [3]. Prætorem C. Gracchum fenoris reos a senatu postulavisse videmus, tribunum quemdam relationem in curia fecisse, alium etiam intercessisse [4]. Quæ omnia quidem eorum nullus, invito principe vel sponte sua facere ausus esset.

Quod ad rem Romanam administrandam spectat, Dio et Suetonius animadverterunt rationes imperii ab Augusto proponi solitas a Tiberio intermissas fuisse [5]. Quod licet Tiberii segnitiei et tædio forsan tribueris, rei Romanæ statum tum civium tum patrum oculis deinceps celavit. Huc adde quod Tiberius tunc crebrius indicandis provinciarum proconsulibus intervenit, ita ut vetuerit ne Galba provinciam sortiretur [6]. Prætura functos tres annos provinciis

1. Dio Cassius, LVIII, 21; Tacitus, *Annales*, IV, 69, 70; VI, 5, 9, 10; Herzog, t. II, p. 900.
2. Tacitus, *Annales*, VI, 12, 15, 17.
3. Dio Cassius, LVIII, 10, 21.
4. Tacitus, *Annales*, VI, 12, 16, 47.
5. Suetonius, *Caligula*, 16.
6. Tacitus, *Annales*, VI, 40. Cf. Tacitus, *Annales*, VI, 29, 30.

præesse Tiberius decrevit, sex autem annos consulatu functos. Nam, auctore Dione, territis omnibus nullus jam se præstabat qui in supplenda officia succederet[1]; nobis vero jam compertum est Tiberio hoc gratum fuisse ut diutius iidem provinciis præessent, quod quidem sub fine regni fuit necessarium, omnibus rei publicæ gerendæ tunc pertæsis Tiberioque omnem imperii curam abjiciente. Eo ceterum proconsulum potestas minime minuebatur.

Inter officia pro principe exercita, nunc primum memoranda est senatus actorum cura. Supra quidem diximus, Tiberio Roma profecto, tum præfectum Urbi tum præfectum prætorio pro ministris principis habendos, alterius autem potestatem continuam inde fuisse. Utriusque autem auctoritas quam plurimum crevit, quoniam utrumque semper suo in officio manere Cæsar voluerit. Unde factum est ut senatus auctoritas in republica cum principe communiter gerenda minus valuerit.

De quibus non est quod plura dicamus, cum hoc tempore senatus et Tiberius labores sociare non jam studeant, sed senatus Tiberium, Tiberius senatum oderit et metuat.

1. Dio Cassius, LVIII, 23; Tacitus, *Annales*, VI, 27.

CONCLUSIO

Ut omnia brevibus verbis complectar, nulla fuit, imperante Tiberio, publice et lege instituta dyarchiæ ratio. Tiberius autem dum vixit dyarchiæ rationem experiri conatus est, senatum cum principe ita consociando ut princeps qui omnia posset senatum specie præpollere sineret. Quod maximi momenti fuit. Augustus enim, cum novam et nondum satis firmam rei publicæ gerendæ rationem inierit, sibi, ne omnia a principe pendere manifestum foret, senatum tanquam adjutorem adsciscere visus est; Tiberius quidem, sicut Augustus origine nobilis et optimatum fautor, et jamdudum antea quam princeps fieret quomodo res publica gerenda esset meditatus, publici commodi præterea studiosissimus, in animo certe habuit ut senatum dominationis socium haberet. Senatores vero et senatorius ordo qui, Augusti ætate, discordiis civilibus fessi hoc unum optabant ut procul a rebus publicis otio fruerentur, nunc jam refecti erant atque sicut vetere republica potestatis cupiditate ardebant.

I

Cum Tiberius principatum iniit, hæc erat rei publicæ gerendæ consuetudo ut specie magis quam re, princeps cum senatu et magistratibus communiter cuncta regeret, res autem Romana in partes divideretur quarum aliis Cæsar, aliis senatus magistratusque præessent. Principem quidem militibus nixum et præterea præpollentem cuncta ipsum gessisse merito dixeris; ministri, quorum officio princeps regionem sibi assignatam administrabat, etiam in regione

senatui concessa interveniebant. Tiberio igitur senatus et magistratuum auctoritatem pro nihilo habere, et totam Romanam rem administrandam sibi assumere licuit, præsertim cum sicut Augustus milites in manu haberet.

Quod tamen abnuit, et senatui proposuit ut specie summo imperio patres fruerentur, revera communiter cum principe cuncta gererent et præterea determinatam rei Romanæ regionem administrarent. Non publice quidem nec certis legibus princeps dyarchiam instituere poterat.

Quæ dona tum senatus respuit, tum milites indignati sunt cum cives summam potestatem recuperavisse viderentur. Attamen in dyarchia experienda Tiberius perseveravit. Imo, cum de cunctis communiter gerendis ageretur, auctoritate prævalere senatui permisit, cui jus suffragii populo arreptum donavisset, cujus etiam potestate in magistratibus eligendis, in legibus ferendis, in judiciis, ipsius principis potestatem circumscribi et tanquam obscurari passus esset. Illos quoque quorum ministerio regionem sibi mandatam administrabat, proconsulum auctoritati cedere jussit.

Cum autem principis et senatus societas nullo præscripto definita esset, nisi in iis quæ ad administrandas provincias pertinerent, ita ut quid senatus, quid princeps posset ob legum obscuritatem lateret, cum præterea, optimatibus atque nonnullis ex ipsa principis gente Tiberio invidentibus, senatus atque magistratus timerent ne ipsorum potestas a principe minueretur quam ipsi principis detrimento augere optassent, non poterat fieri quin de auctoritate senatus et princeps quam acerrime certarent. Hoc et animadverteris senatum et magistratus rei publicæ gerendæ impares esse, atque modo suæ utilitatis causa illa auctoritate uti quam eis Tiberius, ut rei publicæ saluti consulerent, concesserat.

Quæ cum ita fuerint, Vespasianus vel Trajanus, utpote sui compos et sana integraque mente, dyarchiam servare potuisset, non autem Tiberius animo turbatus. Cujus erga patres studium in suspicionem, postea in odium mutatum est. Itaque legem majestatis primum reduxit; postea, Roma profectus et Capreis ab omnibus seclusus, præfectum Urbi et præfectum prætorio principis vices agere passus est,

cum Sejanus militibus qui Romam occupabant, scilicet prætorianis, niteretur quibus senatum cohiberet. Tum autem præfectus prætorio, qui militum statione jam multum poterat, in senatu quoque valuit patribus vel territis vel conciliatis, ita ut pæne Cæsari æqualis evaderet. Quo occiso, non erat ut Tiberius posthac labores cum senatu ex animo sociaret, nec aliud curaret quam ut senatores ulcisceretur. Senatores vero, quia eorum plurimi morte aut exilio mulctati erant, dominationis socios esse noluerunt. Non jam igitur hominum studio, sed tanquam viribus eundo acquisitis dyarchiæ ratio viguit. Quam tamen servare velle Tiberius usque ad mortem professus est.

Posteriores quidem Cæsares usque ad Vespasianum dyarchiam experientur, nec meliore fortuna quam Tiberius. Vespasiano autem principe, cum novi homines e municipiis et coloniis atque etiam provinciis in senatum crebro assumpti fuerint, et novus principum ordo initus, contigit ut omnia ex dyarchiæ ratione succederent. Quæ tamen cum non certius quam antea definita fuerit ita ut inter senatum et principem de auctoritate semper contenderetur, cum novi senatores in priorum sensus et studia venirent, Domitianus in regenda republica Tiberium ipsum retulit [1]. Domitiano mortuo, quamvis Antonini usque ad Hadrianum iterum dyarchiam experiri voluerint, patuit dyarchiæ rationem rei Romanæ non accommodari posse, cum manifestum fuerit quanto imperatoris prudentia senatus imperitiæ præstaret.

II

Haud profecto dyarchiam, sed revera monarchiam Tiberius, etsi invitus, paravit et quodam modo instituit. Primum enim civili senatus potestate nixus, militum auxilio postea valuit, ita ut principatus, in posterum sicut initio, totus in imperatoris imperio et militum præsidio situs fuerit.

1. Vide Gsell, *op. cit.*, p. 337; C. Jullian, *Revue historique*, t. LVII, p. 343.

Mommsen quidem judicio, Tiberius monarchiæ ædes, ut ita dicam, jam inceptas perfecit [1]. Verius dixeris Tiberium tum iis quæ pro senatu, tum iis quæ contra senatum, iis etiam quæ reipublicæ utilitatis gratia fecerit, non parum contulisse ut via ad monarchiam strueretur. Lege enim majestatis, princeps tanquam deus factus est omnibus formidandus. Ineunte Tiberii principatu, populo jus suffragii, judicandi, leges ferendi arripuit quæ senatui donaret : a quo magistratus eligebantur et senatusconsulta ferebantur, principe moderante ita ut ejus auctoritas quam maxime lateret; mox autem cum senatus indigne et imprudenter et adversus principem ea potestate usus esset, Tiberius huc provectus est ut senatum asperrime et inepte regeret, quapropter ex arbitrio principis de eligendis magistratibus et legibus et judiciis senatus decreverit. Tiberius imperatoris provincias non in decem annos sicut Augustus, sed in perpetuum sibi concedi voluit. Dignitatem etiam consulum minuit, quoniam sub fine principatus pauciores in annum consules facti sint. Imo equiti cuidam, Sejano, ornamenta prætoria detulit. Adde quod Tiberius quasdam senatus provincias in principem transtulerit. Tiberii voluntate præfectus Urbi, principis nempe minister et cohortibus urbanis præpositus, qui ex libidine tanquam judex sententias dicebat et Romam simul atque senatus et magistratus administrabat, continuam potestatem secundum secreta principis mandata exercuit. Princeps familiarem Sejanum præter alios dilectum omnia ex sententia regere passus est, et domesticos libertos nonnulla auctoritate in republica valere.

Tiberius denique dispersas per Urbem prætorianas cohortes una in castra conduxit et prætorio præfecti adeo potestatem auxit ut in eo sita esset tota imperatoris potentia [2].

Itaque, cum senatus et princeps communiter rem publicam gerere viderentur, unus modo, scilicet princeps, imperabat. Cum concilio civitati præposito, nempe senatui,

1. *Droit public romain,* t. V, p. 160, 332.

2. Hirschfeld, *op. cit.*, p. 217, 282; Schiller, *op. cit.*, t. I, p. 284. Cf. Claudium apud Suetonium « milites domos senatorias salutandi causa ingredi, « etiam patrum decreto prohibuit » (*Claudius*, 25).

et summo magistratui, nempe principi, res publica esse videretur, tota quidem incivili ministro erat, scilicet Urbi præfecto et præfecto prætorio, pro imperatore imperantibus.

Haud fieri poterat quin postea res publica magis ac magis sub unius arbitrio esset qui militibus niteretur. Quod propterea accidit quia dyarchiæ ratio nunquam successit, quia etiam omnes qui Urbem et provincias incolebant a principe potius quam ab imperitis senatoribus regi mallent, et absurdum esse censerent rem Romanam a duobus specie geri quæ ab uno revera gereretur. Etenim, Claudio imperante, domestici principis liberti majore quam antea auctoritate valuerunt et Palatina ministeria instituta fuere, et Claudius a prætorianis, Neronis successores a legionibus prætorianisve electi. Ultimum denique a sinceris et probis viris, Nerva et Trajano, experta dyarchiæ ratione, Hadrianus in equites et in concilium principis, tanquam Cæsaris ministros, maximam auctoritatis partem transtulit quam Augustus et Tiberius senatui et magistratibus, tanquam Cæsaris collegis, agnoverant.

III

Quod minime dolendum est, cum nihil rei Romanæ profuisset si princeps, ex æquo bono agere solitus, cum perditis et imperitis optimatibus labores sociare perseveravisset. Quod cum Tiberius tentaret, rei Romanæ ad monarchiam progredienti obstabat, qua civitatis forma, hac ætate, optimum quodque fieri posset. Ceterum Tiberius, cum in dyarchia experienda prolapsus sit, ipse ad monarchiæ rationem, bono publico, rediit. Gravissimum tamen fuit Tiberium non solum in senatores a quibus deceptus et detestatus fuerit insanientis modo sævum fuisse, sed etiam, senatoribus obstantibus, ad milites confugisse quorum auxilio jam Augustus principatum constituerat, cum milites semper in eo essent ut per vim res novas in rem publicam molirentur, ita ut ipsi Tiberio mox periculo fuerint [1].

IV

Quod autem, Tiberio principe, in dyarchiæ ratione non successum est, non inde concluseris dyarchiæ rationem a Tiberio non expertam fuisse. Si « dyarchiæ » verbo significare volueris duos communiter ea ratione res publicas gessisse quæ publice instituta certis legibus definita esset, nullum quidem vetus testimonium reperies quo se res ita habuisse declaratum sit. Sin intellexeris principem cum senatu labores sociare conatum esse, illud quidem testatur quidquid de Tiberio a veteribus, imprimis a Tacito et Suetonio et Dione Cassio narratum fuit.

1. Hirschfeld, *op. cit.*, p. 217.

L. Lévy.

Vu et lu
En Sorbonne, le 15 décembre 1900,
par le doyen de la Faculté des Lettres
de l'Université de Paris,
A. Croiset.

Typis mandetur
Academiæ parisiensis Rector.
Gréard.

ERRATA

Procœmium, p. I, paragraphe 2, ligne 1, après *quæ*, mettre une virgule.

Ibid., p. II, ligne 2, au lieu de *principe*, lire *principibus*.

Ibid., p. IV, ligne 5, au lieu de *Mœcenatem*, lire *Mæcenatem*.

Caput primum, p. 2, paragraphe 3, ligne 4, au lieu de *fierit*, lire *fieri*.

Ibid., p. 4, paragraphe 1, ligne 16, au lieu de τῶντε, lire τῶν τε; au lieu de μεγίστῇ, lire μεγιστῇ.

Ibid., p. 4, paragraphe 2, ligne 3, au lieu de *JChr*, lire *J. Chr*.

Ibid., p. 5, paragraphe 1, ligne 3, même observation.

Ibid., ibid., ibid., ligne 26, au lieu de *quis*, lire *si quis*.

Ibid., p. 10, paragraphe 2, ligne 13, au lieu de *videbatur*, lire *videretur*.

Ibid., p. 11, paragraphe 4, ligne 3, au lieu de *causas*, lire *causa*.

Caput secundum, p. 14, paragraphe 1, ligne 12, au lieu de *ab una quæque*, lire *ab una quaque*.

Ibid., p. 15, paragraphe 3, ligne 2, au lieu de *senatum*, lire *senatorum*.

Ibid., p. 17, paragraphe 2, ligne 13, mettre après *imperatore* une virgule; ligne 15, après *habetur* remplacer les deux points par une virgule; ligne 21, après *vereri*, remplacer le point par une virgule.

Ibid., p. 19, paragraphe 3, ligne 1, au lieu de Βλοσυϱός, lire Βλοσυρὸς.

Ibid., p. 21, paragraphe 1, ligne 8, après πολλοὺς mettre une virgule; ligne 9, supprimer la virgule après αὐτὸν et la mettre après ἔχων.

Ibid., p. 22, paragraphe 2, ligne 4, au lieu de *facimus*, lire *facinus*.

Ibid., p. 23, paragraphe 1, ligne 7, au lieu de *ascitum*, lire *adscitum*.

Ibid., p. 23, paragraphe 2, ligne 5, après *salutis* supprimer les guillemets.

Caput tertium, p. 25, ligne 12, au lieu de *Caius Turranius*, lire *C. Turranius*.

Ibid. p. 27, ligne 6, au lieu de *an*, lire *ad*.

Ibid. ibid., paragraphe 3, ligne 1, après *autem* supprimer la virgule.

Caput tertium, p. 29, paragraphe 1, ligne 5, au lieu de *servaturus esset*, lire *servaret*.

Caput quartum, p. 31, paragraphe 1, ligne 8, au lieu de *deferentis*, lire *deferentem*.

Ibid. p. 34, paragraphe 2, ligne 9, au lieu de *consociandos que*, lire *consociandosque*.

Ibid. p. 39, paragraphe 3, ligne 3, au lieu de *hoc est stationem militum, vim et speciem dominationis*, lire *stationem militum, hoc est vim et speciem dominationis*.

Ibid. p. 40, paragraphe 2, ligne 13, au lieu de ὑπό, lire ὑπὸ.

Ibid. p. 41, ligne 4, supprimer les guillemets avant *foret*.

Caput quintum, p. 42, paragraphe 2, ligne 15, mettre un point après *bestimmt*.

Ibid. p. 47, paragraphe 2, ligne 6, au lieu de *Tiberii*, lire *Tiberio*.

Ibid. p. 48, paragraphe 2, ligne 2, au lieu de *senatorio ordini*, lire *senatorium ordinem*.

Ibid. p. 50, paragraphe 3, ligne 2, au lieu de *veteri*, lire *vetere*; ligne 8, après *tandem* lire *validior evaderet*.

Ibid. p. 58, paragraphe 3, ligne 3, après *magis*, lire *res agendas*.

Ibid. p. 59, paragraphe 3, ligne 4, au lieu de *consentire*, lire *consensisse*; ligne 5, au lieu de *arbitrantur*, lire *arbitrarentur*.

Ibid. p. 62, paragraphe 2, ligne 9, avant *Armenia*, lire *in*.

Ibid. p. 63, paragraphe 1, ligne 17, au lieu de *elatus est*, lire *elatus sit*.

Ibid. p. 64, paragraphe 1, ligne 12, au lieu de *quo modicis*, lire *quæ modicis*.

Ibid. p. 65, paragraphe 1, ligne 10, au lieu de *quæstionarum*, lire *quæstionum*.

Ibid. p. 67, paragraphe 3, ligne 3, ouvrir les guillemets avant *non temperaturos*, et les fermer ligne 4 après *evasisset*.

Ibid. p. 71, paragraphe 1, ligne 18, au lieu de *ineptam*, lire *ineptum*.

Ibid. même page, paragraphe 3, ligne 1, mettre une virgule après *Priscus*, et une autre après *romanus*.

Ibid. p. 72, paragraphe 2, ligne 14, au lieu de *magistratuum*, lire *magistratum*; ligne 15, au lieu de *postulando*, lire *postulare*.

Page 75, paragraphe 2, ligne 2, au lieu de *in republicam*, lire *ad rempublicam*.

Page 78, ligne 7, au lieu de *incantum*, lire *incautum*.

Page 80, paragraphe 1, ligne 2, au lieu de *dolentum*, lire *dolentium*.

Ibid., paragraphe 2, ligne 8, au lieu de *narrent*, lire *narrant*.

Ibid., paragraphe 4, ligne 4, au lieu de *vel ipsum*, lire *vel se ipsum*.

Page 82, paragraphe 1, ligne 1, au lieu de *in Caprea insula*, lire *Capreas in insulam*; ligne 2, au lieu de *sentores*, lire *senatores*.

Page 82, paragraphe 2, ligne 2, au lieu de *præsentiorum*, lire *præsentium*.
Page 89, paragraphe 3, ligne 10, au lieu de *insigna*, lire *insignia*.
Page 95, paragraphe 2, ligne 1, au lieu de *sime*, lire *sine*.
Page 96, paragraphe 1, ligne 6, au lieu de *præsse*, lire *præesse*.
page 103, paragraphe 1, ligne 6, au lieu de *me rito*, lire *merito*.
Page 105, paragraphe 1, ligne 1, au lieu de *antire*, lire *anteire*.
Ibid., paragraphe 2, ligne 10, au lieu de *momentibus*, lire *momentis*.
Page 106, paragraphe 1, ligne 2, au lieu de *si sibi ipsi favebant*, lire *si ipsi favebant*.
Page 108, ligne 1, au lieu de *patefacta*, lire *patefactus*.
Page 110, paragraphe 2, ligne 4, au lieu de *Africam*, lire *Africa;* ligne 5, au lieu de *restiturum*, lire *restituturum*.
Page 114, paragraphe 4, ligne 5, au lieu de *Huc*, lire *Hoc*.

INDEX CAPITUM

Le Puy-en-Velay. — Imprimerie R. Marchessou, boulevard Carnot, 23.